

QUAESTIONUM DE RE SACERDOTALI GRAECORUM

PART.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE OBTINENDOS

OFFERT

THEODORUS GIES,

GYMNASII HANOVIENSIS PRAECEPT. PUBL. ORDIN.

MARBURGI HASSORUM.

MDCCCL.

Typis Orphanotrophei Hanoviensis.

Prooemium.

Apud Graecos inde ab antiquissimis[1]) temporibus usque ad seriora tempora res omnes et publicae et privatae arctissimo vinculo conjunctae erant cum religione: nullum enim institutum, nullus convictus, immo nulla fere actio cogitari potest, quae non illius fundamento nixa quaeque non illa sancita fuerit; ne multa, religio et cultus divinus cum administratione si non omnium, at plurimarum rerum humanarum cohaerebat.[2]) Cujus rei ut varia testimonia multaque vestigia, quae nobis adhuc tempore historico occurrunt, silentio praetermittam, liceat certe in memoriam revocare illam de aevo aureo fabulam, qua docemur, quanta tunc temporis inter Graecorum res sacras et civiles fuerit necessitudo.[3]) Hi, ad percipiendum omne dei cujusdam propinquitatis signum nati factique, dum, conscientia divini numinis atque timore,[4]) fonte isto omnis antiquitatis deorum cultus, imbuti, a patria fide non desciscebant, dumque pietas ad ipsorum mores formandos formatosque confirmandos maximam exercebat vim, nullam majoris momenti rem nisi

1) Originem cultus divini repetendam esse jam ex Pelasgorum temporibus, auctor est Herodotus II, 50 — 53.

2) Kreuser, d. Hell. Priesterst. p. 3 sq.: «Wir finden nämlich bei den Hellenen, was sich bei allen alten Völkern, Indern, Persern, Aegyptern und Germanen wiederholt, dass der ganze Staat auch ein innerlicher ist, das heisst, dass alles Handeln, wie billig ist, auf einem religiösen Grunde beruht.»

3) Arat. Phaen. 91 sq.: *ξυναὶ γὰρ τότε δαῖτες ἔσαν, ξυνοὶ δὲ θόωκοι ἀθανάτοισι θεοῖσι καταθνήτοις τ᾽ ἀνθρώποις.* Hom. Od. VII, 201 sqq. Alcinous glorians dicit haec: *αἰεὶ γὰρ τὸ πάρος γε θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς ἡμῖν, εὖτ᾽ ἔρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας· δαίνυνταί τε παρ᾽ ἄμμι καθήμενοι, ἔνθα περ ἡμεῖς.* Plat. Phileb. p. 16 C: *καὶ οἱ μὲν παλαιοί, κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, ταύτην φήμην παρέδοσαν κ. τ. λ.* cf. Bergk. com. Att. reliqu. p. 188 sqq.

4) Stat. Theb. III, 661: «Primus in orbe deos fecit timor.»

ante precatione facta suscipiebant[5]) omninoque nihil antiquius habebant religiosa deorum veneratione. Seriore nimirum tempore hunc sensum religiosum in mores plane contrarios, in libidinem, in formas inanes ita mutatum videmus, ut sexta fere anni pars diebus festis constaret.[6]) Itaque quum cultus divinus tantum in omnes Graecorum res momenti haberet, ultro nobis offertur quaestio, qua ratione pietati sensuique divino hi satisfecerint quibusque hominibus usi sint inter deos et homines intercessoribus. Jam vero apud eos pariter atque apud alios populos decursu temporum haec pars vitae varios percurrit gradus; quo fit, ut nobis ejus alia aliis temporibus species exhibeatur. Primum omnium igitur videamus, qualis sacerdotii ratio et natura fuerit temporibus antiquissimis.

---

5) Plat. Tim. p. 27 C: *τοῦτό γε δὴ πάντες, ὅσοι καὶ κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχουσιν, ἐπὶ παντὸς ὁρμῇ καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος θεὸν ἀεί που καλοῦσιν*: cf. Hermann. G. A. §. 21; Terpstra antiquit. Homeric. p. 22, §. 2.

6) Schol. Aristoph. Vesp. v. 661: *εἰς δέκα μῆνας λογίζεται τὸν ἐνιαυτόν, ὡς τῶν δύο εἰς ἑορτὰς προχωρούντων*: cf. Strab. VI, p. 429 (de Tarentinis): *ἐξίσχυσε δὲ ὕστερον τρυφὴ διὰ τὴν εὐδαιμονίαν, ὥστε τὰς πανδήμους ἑορτὰς πλείους ἄγεσθαι κατ᾽ ἔτος παρ᾽ αὐτοῖς ἢ τὰς ἡμέρας.*

I. De sacrorum praesidibus temporis antiquissimi.

Sicut omnino, quin antiquissimis temporibus prima universae civitatis forma ad familiae modum fuerit temperata, dubitari non potest,[1]) cujus rei vestigia, quamquam de illis temporibus nihil certi ad memoriam nostram pervenit,[2]) tamen serioris temporis respublicae clare perspicueque prae se ferunt,[3]) ita etiam principium cultus divini ex uno eodemque fonte repetendum esse videtur.[4]) Naturâ erat insitum, ut initio paterfamilias, utpote qui et aetate et auctoritate ceteros anteiret, regulus esset idemque sacrificulus, qui cerimonias omninoque munera sacra curans pro familia sua cum diis communicaret.[5]) Hac autem liberis amplificata, successio, si quid suspicari licet, non ex senioratu, qui dicitur, fiebat, tanquam antistitis

---

1) Aristot. Politic. I, 1, 7: ἡ μὲν οὖν εἰς πᾶσαν ἡμέραν συνεστηκυῖα κοινωνία κατὰ φύσιν οἶκός ἐστιν.... ἡ δ' ἐκ πλειόνων οἰκιῶν κοινωνία πρώτη χρήσεως ἕνεκεν μὴ ἐφημέρου κώμη... διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη· ἐκ βασιλευομένων γὰρ συνῆλθον· πᾶσα γὰρ οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου, ὥστε καὶ αἱ ἀποικίαι διὰ τὴν συγγένειαν. cf. Timaei lex. Platon. s. v. πατρονομούμενοι p. 209. Ruhnk.; Hermann. St. A. §, 5 init.: «Die naturgemässeste Entwickelung des gesellschaftlichen Lebens, wie wir sie also namentlich auch für Griechenland sowohl der Natur der Sache als den Zeugnissen seiner Denker und selbst einzelnen geschichtlichen Spuren zufolge voraussetzen müssen, geht aus dem Schoosse der Familie hervor: die durch das Band der Blutsverwandtschaft verknüpfte Hausgemeinde ist der natürlichste Staatsverein, die patriarchalische Monarchie des Familienhaupts die ursprünglichste Regierungsform, und wenn gleich die Beispiele und Erinnerungen dieses Zustandes ganz in das Gebiet der mythischen Nachklänge fallen, so tragen doch die Grundlagen des nachherigen griechischen Staatslebens noch mehrfach das Gepräge dieser Stufe an sich.» Naegelsb. Homer. Theol. p. 255: «In dieser bisher dargestellten Heerdgemeinschaft ungleich - berechtigter unter einem natürlichen Oberhaupt, dessen Wille nirgends durch strenges Recht, sondern nur durch den Familiengeist selber in Schranken gehalten ist, finden wir auch die erste, unmittelbare und blos natürliche Staatsform gegeben, die patriarchalische.»

2) Od. IX, 112 sqq. nobis a poeta depingitur vitae ratio Cyclopum, quae haud scio, an similitudinem quandam ejus rei speciemque gerat. cf. Plat. Legg. III, p. 680. Strab. XIII, p. 885.

3) Hermann. St. A. l. l.

4) Hermann. l. l. et G. A. §. 1.

5) Terpstra l. l. p 15, §. 1 init.: «Cultus divini et sacrarum omnino rerum cura antiquissimis temporibus penes patres familias fuit, quorum suae quisque tribus aut familiae sacerdos erat, regiam simul et sacerdotalem potestatem atque auctoritatem habens.»

sacrorum munus et scientia rerum huc pertinentium imprimis natu in tota gente maximo cuique immutata inhaererent; immo vero, quum filiis cunctis idem in sacerdotium esset jus, primo geniti nullo habito respectu, filii primum omnes patri, deinde secundum ordinem collateralem patrueles succedebant. Ad confirmandam hanc sententiam, quam proponit Boeckhius Corp. inscr. graec. T. II, nr. 2655, multum valet titulus Halicarnassius,[6]) quo continetur catalogus sacerdotum Neptuni Halicarnassensium, qui omnes ex Telamonis, Neptuni et Halcyonae filii, fabulosi coloniae ductoris, gente sunt orti. Quodsi lapidem Theraeum,[7]) cujus aetas fere secundum vel tertium ante epocham Christianam saeculum esse videtur, quique vulgo vocatur testamentum Epictetae, sequimur, tum demum, quum secundum eum, quem modo dixi, ordinem fieri successio non potuerat, natu maximo cuique officium sacrorum antistitis delatum esse putandum est.[8]) Quid mirum? quoniam ille quum animi ingeniique robore, tum vero rerum usu experientiave, auctoritate quadam innata aliisque virtutibus inter ceteros solet ita eminere, ut inde ei per se accedat major quaedam vis atque dignitas. Hac ratione cognitio cerimoniarum, consecrationum, lustrationum, rerum denique sacrarum, quibus naturali religionis sensui satisfiebat, ab uno ad alterum quasi hereditate propagabatur. En sacrum munus hereditarium, familiae fundamentis constitutum! Cave igitur putes, antiquissimo hoc tempore et seriore ordinem, qui dicitur, sacerdotum, etiamsi a Graecis non plane alienus fuerit,[9]) apud eos aeque late patuisse[10]) atque apud populos orientales; sed cura

---

6) C. I. l. l. Huic titulo, quamvis prima pars nominum e sacerdotum posteriorum fictione nata sit, tamen multum auctoritatis tribuere vix quis dubitaverit, qui consideret, tabulam eos tantum referre sacerdotes, qui Halicarnassi fuerunt *ἀπὸ τῆς κτίσεως* (*τοὺς γεγενημένους ἀπὸ τῆς κτίσεως κατὰ γένος ἱερεῖς*), quo vetustior illius regionis possessio fingeretur (Halicarnassus enim erat colonia Troezenorum Doriensium, demum post Heraclidarum reditum condita), quod etiam alibi apud Graecos saepissime fiebat; nam sine illa auctoritate politica non futurum fuisset, ut jussu senatus et populi titulus ex prisca columna, cui principio inscriptus erat, seriore tempore, fere uno et altero a. Chr. n. saeculo, in aliam tabulam transscriberetur. Boeckh. ad l. l.

7) C. I. II, nr. 2448. II, 27—30: *τὰν δὲ ἱερατείαν τᾶν Μουσᾶν καὶ τῶν ἡρώων ἐχέτω ὁ τᾶς θυγατρός μου υἱὸς Ἀνδραγόρας, εἰ δέ τί κα πάθῃ οὗτος, ἀεὶ ὁ πρεσβύτατος ἐκ τοῦ γένους τοῦ Ἐπιτελείας.*

8) Consul. Boeckh. l. l.

9) Hermann. St. A. §. 6. G. A. §. 1.

10) Boeckh. ad C. I. II, p. 930: «nimirum in eo cernitur praestantissima Graecorum indoles, quod, quum ab initio eorum instituta non magnopere diversa a barbaris essent, non constiterunt Graeci in primitivis cultus civilis rudimentis, sed excusso cascae disciplinae jugo ad perfectiorem properarunt rerum statum, quamquam ne ab initio quidem tam certis finibus disjuncta apud Graecos quam apud Aegyptios aut Indos vitae genera fuisse consentaneum est, sed eatenus, quatenus ipsa natura, soli ingenium, varia gentium origo ferebat ad diversa negotia tractanda..... omnibusque vitae generibus communia apud Graecos sacerdotia fuisse multa docent indicia.» cf. Mueller. Sacr. Min. Poliad. p. 9 sqq., Prolegg. z. wissensch. Mythol. p. 249; Heeren, Id. III, p. 61; infra §. 4 extr. c. not. 13.

cultus divini sacrorumque gentiliciorum, ἱερῶν ἰδίων, erat quoddam commune bonum gentis universae. Quo vinculo religionis singula familiae membra firmiter iuter se continebantur, atque inde, quod patriarchae, sacrorum praesidi, se suamque salutem confidenti animo permittebant, factum est, ut in religionem omnes singulorum quasi radii colligerentur, sedesque sacrorum gentiliciorum, focus domi exstructus, ubi θεοὶ ἐφέστιοι colebantur,[11]) totius familiae haberetur centrum symbolicum.

Sed quia jus e diis emanare putabatur, qui munus sacerdotale administrabat, is pro officio sacro etiam judicialem habebat potestatem, et quidem sic, ut universae reipublicae, quippe quae ex familia et gentibus constaret, quasi patria quadam dignitate praeesset. Ob hanc igitur sanctionem sacram et religiosam, et quia convictus hominum non juris vinculo, non legibus scriptis[12]) continebatur, sed pietatis,[13]) consuetudinis vel moris,[14]) institutorum a majoribus[15]) receptorum fundamento nitebatur, qui divinum cultum curabant, sacerdotes serioris temporis, primum obtinebant locum in civitate, quae ita omnino religionis induebat naturam.

De illa autem prisca aetate quae sunt nobis tradita, quantumvis parca parumqne confirmata sint, et quamquam, qua ratione ministri sacri illius aetatis munus suum obierint, plane definiri non potest, hoc saltem non est quod pro certo ponere dubitemus, dignitatem sacerdotalem atque regiam unam candemque fuisse, in una eademque persona, principe gentis, coarctatam. Ad eam sententiam, praeterquam quod apud alios veteres populos eadem ratio reperitur, etiam hac maxime caussa adducimur, quod serius multis in Graeciae civitatibus munera sacra cum nomine regis conjuncta fuisse legimus.[16]) Quum enim tempore pro-

---

11) Cui in mentem non veniat illa serioris temporis ἑστία βουλαία vel πρυτανεία. cf. Westermann. in Actt. soc. gr. I, p 147: «fuit igitur ara sive focus senatorius, uti focus domesticus, ita in republica quoque locus sacratissimus.»

12) De ἀγράφοις νόμοις cf. Hermann. St. A, §. 5. 12.

13) Plat. legg. V, p. 738: περὶ θεῶν τε καὶ ἱερῶν, ἅττα τε ἐν τῇ πόλει ἑκάστοις ἱδρύσθαι δεῖ καὶ ὧν τινῶν ἐπονομάζεσθαι θεῶν ἢ δαιμόνων, οὐδεὶς ἐπιχειρήσει κινεῖν νοῦν ἔχων κ. τ. λ.: Strab. XVI, p. 1105: τὸ δὲ πρόςταγμα διττόν, ἢ γὰρ παρ᾽ ἀνθρώπων ἢ παρὰ θεῶν· καὶ οἵ γε ἀρχαῖοι τὰ παρὰ θεῶν ἐσέμνυνον μᾶλλον καὶ ἐπρέσβευον.

14) Dio Chrysost. Orat. LXVII, p. 648: ἔστι δὲ τὸ ἔθος γνώμη μὲν τῶν χρωμένων κοινή, νόμος δὲ ἄγραφος ἔθνους ἢ πόλεως.... εὕρημα δὲ ἀνθρώπων οὐδενὸς ἀλλὰ βίου καὶ χρόνου: Artemid. Oneirocr. IV, 2: τῶν δὲ νενομισμένων ἃ μὲν συνθέμενοι ἀλλήλοις οἱ ἄνθρωποι αὐτοὶ ἑαυτοῖς πράττουσι, καὶ καλεῖται τὸ τοιοῦτον ἔθος, ἔστι δέ, ὡς ἡ φήμη λέγει, νόμος ἄγραφος· ἃ δὲ φόβῳ τοῦ παραβαίνεσθαι γραψάμενοι νόμους καλοῦσιν.

15) Isocrat. Areop. §. 30: ἐκεῖνο μόνον ἐτήρουν, ὅπως μηδὲν μήτε τῶν πατρίων καταλύσουσι μήτ᾽ ἔξω τῶν νομιζομένων προσθήσουσιν: idem ad Nicocl. §. 20; Porphyr. de abstin. IV, 22: θεοὺς τιμᾶν καὶ ἥρωας ἐγχωρίους ἐν κοινῷ ἑπομένους νόμοις πατρίοις.

16) Servius ad Virg. Aen. III, 80, ubi vocatur Anius «rex idem hominum Phoebique sacerdos,» monet:

cedente in Graecia, potestate regia et regum ipsorum culpa et aliis caussis fracta ac dissoluta,[17]) nobiles rerum potiti essent, illorum provincia antea late patens jam finibus adeo angustis circumscripta est, ut omni politica vi destitutis nisi divinarum rerum cura nihil esset relictum. Quibus rebus ita mutatis, Graeci, pietate quadam, ne prorsus priorum temporum aboleretur memoria, permoti, ad curam rerum sacrarum designandam retinuerunt nomen *βασιλέως*, qui sacris publicis faciundis praeerat[18]) quique de rebus omnibus, quae ad cultum divinum religionemque pertinerent, dicebat jus: ut apud Jones, qui olim ex Attica in Asiam emigrarant, invenimus vetus genus Codridarum Atheniensium regium, quod regno abrogato patrium et summum sacerdotium deorum Eleusiniorum[19]) sibi vindicavit; itemque Cyrene post imperium populare conditum Battiadae patrium Apollinis sacerdotium porro administrare pergebant.[20]) Praeterea autem ejusmodi reges sacrificuli, quos quidem loco regum profanorum creatos videmus, nobis etiam Ephesi,[21]) Scepsi,[22]) Samothracae,[23]) Pergami,[24])

«majorum haec erat consuetudo, ut rex esset etiam sacerdos et pontifex.» Ovid. Metam. XIII, 632 sq.: «Anius, quo rege homines, antistite Phoebus rite colebatur» etc. cf. Plat. Politic. p. 290 E.

17) Plat. Legg. III, p. 683 E: *βασιλεία δὲ καταλύεται ἢ καί τις ἀρχὴ πώποτε κατελύθη μῶν ὑπὸ τινῶν ἄλλων ἢ σφῶν αὐτῶν*; cf. Arist. Polit. V, 8, 22. Wachsm. H. A. I, p. 375 sq.

18) Arist. Polit. III, 9, 8: *ὕστερον δὲ τὰ μὲν αὐτῶν παριέντων τῶν βασιλέων, τὰ δὲ τῶν ὄχλων παραιρουμένων, ἐν μὲν ταῖς ἄλλαις πόλεσι θυσίαι κατελείφθησαν τοῖς βασιλεῦσι μόναι, ὅπου δ' ἄξιον εἰπεῖν εἶναι βασιλείαν, ἐν τοῖς ὑπερορίοις τῶν πολεμικῶν τὴν ἡγεμονίαν μόνον εἶχον*: idem l. l. VI, 8 extr.: *ἐχομένη δὲ ταύτης ἡ πρὸς τὰς θυσίας ἀφωρισμένη τὰς κοινὰς πάσας, ὅσας μὴ τοῖς ἱερεῦσιν ἀποδίδωσιν ὁ νόμος, ἀλλὰ ἀπὸ τῆς κοινῆς ἑστίας ἔχουσι τὴν τιμήν.* cf. Xenoph. Rep. Lac. XV, 2: *θύειν μὲν βασιλέα πρὸ τῆς πόλεως τὰ δημόσια ἅπαντα.* Neque tamen *βασιλεῦσιν* ubique erat idem nomen; Arist. l. l.: *καλοῦσι δὲ οἱ μὲν ἄρχοντας τούτους, οἱ δὲ βασιλεῖς, οἱ δὲ πρυτάνεις.* cf. Wachsm. H. A. I, p. 421.

19) Strab. XIII, init.: *Καὶ ἔτι νῦν οἱ ἐκ τοῦ γένους ὀνομάζονται βασιλεῖς, ἔχοντές τινας τιμὰς, προεδρίαν τε ἐν ἀγῶσι καὶ πορφύραν ἐπίσημον τοῦ βασιλικοῦ γένους, σκίπωνα ἀντὶ σκήπτρου καὶ τὰ ἱερὰ τῆς Ἐλευσινίας Δήμητρος.*

20) Herod. IV, 161: *τοῦτο δὲ τῷ βασιλέϊ Βάττῳ τεμένεα ἐξελὼν καὶ ἱεροσύνας, τὰ ἄλλα πάντα, τὰ πρότερον εἶχον οἱ βασιλέες, ἐς μέσον τῷ δήμῳ ἔθηκεν.* cf. Aristot. Polit. VI, 4; Callimach. h. Apoll. 96.

21) Strab. XIV, p. 938 B; Paus. VIII, 13, 1; Suid. et Hesych. s. *Ἐσσήν*.

22) Strab. XIII, p. 904 C.

23) C. I. II, nr. 2157: *Κυζικηνῶν ἱεροποιοί —, ὡς δὲ Σαμόθρακες ἐπὶ βασιλέως κ. τ. λ.* (cf. nr. 2158, 2159). Apud Samothraces summus magistratus erat rex (Liv. XLV, 5). Boeckhius quidem (l. l. p. 921) *βασιλέα* hujus tituli ad regem sacrificulum referendum negat, ac potius eponymum esse Samothracum; sed tamen ea ratio mihi alienissima videtur esse ab ipso verborum nexu, qui ad Cyzicenos *ἱεροποιοὺς* spectat et ad Samothracia mysteria.

24) C. I. nr. 2189: *τὰν ἐπώνυμον ἀπὸ βασιλέων πρυτανήϊαν ἂν ἐκ γένεος διαδεξάμενος τοῖς τᾶς ἀξίας βασμοῖς ἀνελόγησεν.* cf. Boeckh. l. l. p. 870.

Assi,[25]) Cyzici,[26]) Chalcedone[27]) alibique occurrunt. Nec minus Olympiae pontifices maximos, quae gens sacra sub vernum aequinoctium Saturno sacrificabat, haud scio, an recte dixerim testes hujus veteris regni sacerdotalis, quorum certe nomen (*βασίλαι*[28]) enim appellabantur) nobis facile potest persuadere, ut inter hos et aliarum civitatum reges sacrificulos intercessisse similitudinem quandam arbitremur. Omnium vero illorum nullus tantam adeptus est gloriam, quantam Atheniensium *βασιλεὺς*, ex archontibus unus, qui de criminibus in religionem commissis jus dicebat, lites in familiis sacerdotum, si qui locus vacaret, exortas dijudicabat dirimebatque, sacra publica curabat atque mysteriis praeerat.[29]) Eademque ratione in iis civitatibus, ubi regnum servabatur, ut Lacedaemone, regi etiam postea erat pars muneris sacrificandi.[30]) Qua de re praecipue Xenophontem audiamus, qui Cyrop. VIII, 5, 26. Cambysem regem ex Graecorum notione ita loquentem facit: *ὁσίως ἂν ὑμῖν ἔχοι, τοῦτον θύειν τὰ ἱερὰ ὑπὲρ ὑμῶν, ἅπερ νῦν ἐγὼ θύω· ὅταν δ' οὗτος ἔκδημος ᾖ, καλῶς ἂν οἶμαι ὑμῖν ἔχειν, εἰ ἐκ τοῦ γένους κ. τ. λ.*

Sed ut ad inceptum redeamus, per totum illud tempus imperii sacerdotalis, quod priscum tempus apte Pelasgicum[31]) nominatur, simulacra, templa, sacerdotes reperiuntur nusquam,[32])

---

25) C. I. II, nr. 3569: *πάτριος βασιλεὺς καὶ ἱερεὺς τοῦ Διός.*

26) C. I. II, nr. 3663, ubi reges sacrificuli mysteriorum sunt intelligendi.

27) C. I. II, nr. 3794. Hic aperte conjunctus est *βασιλεὺς* cum aliis magistratibus sacerdotalibus, hieromnemone et propheta.

28) Paus. VI, 20, 1: *ἐπὶ δὲ τοῦ ὄρους τῇ κορυφῇ θύουσιν οἱ Βασίλαι καλούμενοι τῷ Κρόνῳ κατὰ ἰσημερίαν τὴν ἐν τῷ ἦρι Ἐλαφίῳ μηνὶ παρὰ Ἠλείοις.* cf. Heffter. Allgem. Schulz. 1833, p. 228.

29) Plat. Polit. p. 319: *τῷ γὰρ λαχόντι βασιλεῖ φασι τῇδε τὰ σεμνότατα καὶ μάλιστα πάτρια τῶν ἀρχαίων θυσιῶν ἀποδεδόσθαι.* Heraclid. fr. s. *Ἀθηναίων: ὁ δὲ βασιλεὺς τὰ κατὰ τὰς θυσίας διοικεῖ καὶ τὰ πολέμια.* Poll. Onom. VIII. 8, 3: *ὁ δὲ βασιλεὺς μυστηρίων προέστηκε μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν καὶ Ληναίων καὶ ἀγώνων τῶν ἐπὶ λαμπάδι, καὶ τὰ περὶ τὰς πατρῴας θυσίας διοικεῖ, δίκαι τε πρὸς αὐτὸν λαγχάνονται ἀσεβείας, ἱερωσύνης ἀμφισβητήσεως, καὶ τοῖς γένεσι καὶ τοῖς ἱεροῖς πᾶσιν αὐτὸς δικάζει.* cf. Suid. s. *ἡγεμονία δικαστηρίου.* Harpocrat. s. *ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων.*

30) Herod. VI, 56: *Γέρεά τε δὴ τάδε τοῖσι βασιλεῦσι Σπαρτιῆται δεδώκασι, ἱρωσύνας δύο, Διός τε Λακεδαίμονος καὶ Διὸς οὐρανίου κ. τ. λ.* Aristot. Polit. III, 11: *οὐκ ἐστὶ κυρία πάντων (ἡ τῶν Λακεδαιμονίων βασιλεία), ἀλλ' ὅταν ἐξέλθῃ τὴν χώραν, ἡγεμών ἐστι τῶν πρὸς τὸν πόλεμον· ἔτι δὲ καὶ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ἀποδέδοται τοῖς βασιλεῦσιν*: idem l. l. 12: *στρατηγὸς γὰρ ἦν καὶ δικαστὴς ὁ βασιλεὺς καὶ τῶν περὶ τοὺς θεοὺς κύριος.* Plut. Lycurg. c. XXI, 2: *ἐν ταῖς μάχαις προεθύετο ταῖς Μούσαις ὁ βασιλεύς.* Xen. Rep. Laced. c. XV: *θύειν μὲν βασιλέα πρὸ τῆς πόλεως τὰ δημόσια ἅπαντα κ. τ. λ.* Demosth. in Neaer. p. 873 C: *βασιλεῖς ἱερῶν κ. τ. λ.* cf. Valer. Maxim. III, 3. §§. 1, 3.

31) Cf. A. W. Schlegel. Heidelb. Jahrbb. 1816. p. 856.

32) Nam quae sunt nobis de templis a Trophonio et Agamede exstructis (Paus. IX, 37, 3), de simulacris a Daedalo fictis (idem IX, 40, 2) de aliisque cultus antiquissimi rebus tradita (cf. Mueller. Gesch. d.

nec eorum profecto indigebant homines; nam quum illius aetatis fides divina atque cultus non ad singulos deos, quorum species et forma fabulis excogitata arteque exculta, quorum domicilium certum fixumque esset, sed ad vires naturae, coelum, terram, solem, lunam stellasque[33]) pertineret, *θεραπεία*,[34]) quae cum serioris temporis anthropomorphismo, qui vocatur, arctissime cohaeret, tunc locus esse certe non potuit.

II. De transitu ex antiquissimo tempore in aetatem heroicam.

Sequitur nunc altera aetas, quae, nonnulla ante et post bellum Trojanum saecula complectens, recte nominatur aetas heroica,[1]) quod nomen per se ipsum indicat, ejus indoles quam diversa fuerit ab illa, de qua modo dictum est. Ut autem intelligatur, unde haec mutatio rerum tam repente sit profecta, diligenter ea circumspiciamus, quae de his temporibus sunt memoriae prodita. Quis est, quem lateat tempus istud Graeciae iniquum, luctuosum, miserum, periculi, metus, seditionum turbarumque plenum, quo pugnabantur certamina atrocia, quo foeda monstra hominum, quorum nominibus nota inusta est turpitudinis, haud verebantur, omni deorum reverentia pietateque deposita, se polluere sacrilegiis, quo denique, rebus omnibus perturbatis, disciplina et publica et domestica erat penitus suppressa atque eversa? Sufficiat breviter tantum commemorasse hanc rem, quae, etiamsi nobis ad id, quod quaerimus, haud levis momenti videatur, tamen historiae caret fundamento; sed eo diligentius attendatur aliud factum, quod, istis rebus connexum, tamen magnam per se auctoritatem et fidem habet. Constat enim aliquot ante Trojanum bellum saecula in locum Pelasgorum, everso eorum imperio, subiisse eam gentem, cui postea nomen est Hellenes. Quod inter hos et Pelasgos discrimen veteres scriptores[2]) sic statuebant, ut utrosque sua sibi

---

griech. Liter. I, p. 18 sqq., Lob. Agl. p. 254 sqq.), parum fidei habent, quam ut sibi possint auctoritatem quandam vindicare.

33) Plat. Crat. 397 C: *φαίνονται μὲν οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους τοὺς θεοὺς ἡγεῖσθαι, οὕσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον καὶ σελήνην καὶ γῆν καὶ ἄστρα καὶ οὐρανόν.* cf. Aristot. Metaph. XI, 8.

34) Hermann. G. A. §. 2, not. 3.

1) Cf. A. W. Schlegel. l. l. Hermann G. A. §. 4 init.: «Hiermit stehen wir übrigens bereits an der Gränze der Periode, welche jener patriarchalischen Einheit des bürgerlichen Lebens mit dem Cultus in der Sitte ein Ende gemacht und die freiere Entwickelung des ersteren zum Selbstbewusstsein begründet haben muss, mit welchem dann der Cultus in seinem fortwährenden Festhalten an dem Principe der Sitte in den bereits oben angedeuteten Gegensatz tritt, und dessen Verselbständigung diesem gegenüber schon die homerische Zeit nicht verläugnen kann, obgleich die einzelnen Thatsachen dieses Uebergangs eben desshalb vor alle Geschichte fallen.»

2) Herod. I, 58; Hecataeus apud Strabon. VII, p. 494 (cf. IX, p. 629); schol. Apollon. Rhod. I, 580:

natura moribusque oppositos fuisse censerent, id nunc jam statuere cuiquam vix aut omnino non in mentem veniet; nam utroque nomine nihil aliud significatur, nisi Pelasgicas formas vetustiores fractas et in liberiores esse mutatas idque eo, quod bellicosa pars populi, qui heroes vocantur, imperii sacerdotum hereditariorum jam diu pertaesi, regnum ab his obtentum ad se transferebant. Attamen est profecta haec eversio non vi externa,[3]) sed intus orta ex ipsis Pelasgicis civitatibus, ita ut quasi e gremio Pelasgorum Hellenes emanasse existimandum sit;[4]) quod quidem non mirum videatur reputanti, communem naturam Dorum,[5]) Jonum, Aeolum, Achaeorum maxime in eo versari, quod erant stirpes militares, quae aliae alibi circumvagantes, imperio sacerdotum sublato, novam illam aetatem hilari, libera, equestri audacique hominum vita insignem condiderunt.[6]) Fundamento igitur religionis superbia bellicosae populi partis atque insolentia gravissime concusso, fieri non potuit, quin genus sacerdotale evanescens passim tantum in certis gentibus maneret.[7]) Quod apud Homerum sacer-

---

ἀπὸ Πελασγῶν ἔθνους βαρβαρικοῦ, οἰκήσαντος τὴν Θεσσαλίαν καὶ τὸ Ἄργος καὶ ἄλλας οὐκ ὀλίγας χώρας. Plura apud Clinton Fast. Hell. Vol. I, p. 4 sqq.

3) Ut videtur Muellero Aeginet. p. 172: «irrumpente e septentrione feriori populo.»

4) Cf. Hermann. de Hesiodi aetatibus mundi, Verhandl. der Philol. zu Gotha 1840, p. 70. Köchly, Zeitschr. f. d. Alt. 1843, p. 6: «Aus dem Schoosse des Pelasgerthums selbst gehen jene streitbaren, kühnen, geharnischten, wagenkämpfenden Heroen, jene Ritter hervor, welche in einer langen Reihe von Kämpfen die alten einfachen Verhältnisse umstossen, in den einzelnen griechischen Landschaften die Bewohner unterjochen, zugleich aber zum Stamme vereinigen, sich zu regierenden Herrn machen, und an die Stelle der patriarchalischen Familie und Gemeinde den in zwei Stände schroff gesonderten Staat treten lassen;» et p. 108: «Das eherne Zeitalter bezeichnet den gewaltsamen Untergang des Pelasgerthums durch das Erstehen der Heroen, die natürlich roh, wild und gewaltthätig, von ungeheuerer Kraft, ganz von Erz erscheinen und in ruhelosem Kampf sich aufreibend namenlos untergehen.» Hujus eversionis princeps fuit haud dubie stirps Doriensis, quae victrix ex ista rerum perturbatione consecuta potentiam summam opesque inter ceteras eminebat auctoritate et imperio.

5) Quamvis Dores sint militaris stirps separata et disjecta, tamen eos cum Jonibus, Aeolibus et Achaeis, qui a gravissimis auctoribus plane et aperte nominantur Pelasgi, propinquitate et necessitudine quadam conjunctos fuisse sine ulla dubitatione contenderim, quum aliter fieri non potuisset, ut illae quatuor Graecorum gentes primariae essent collectae et coarctatae in unum idemque stemma, cui, quidquid de eo fictitio (cf. Mueller. Prolegg. p. 178) judicamus, certe non omnis fides est deroganda.

6) Haud alienum videtur hic mentionem facere similium seditionum, quas in India et in Aegypto exortas legimus: Herod. II, 30. Heeren, Id. I, p. 378, III, p. 289; idem Gött. Societ. XII, p. 48—68.

7) Mueller. Aeginet. p. 172: «Quid enim mysteria sunt, nisi sacrorum, quae olim per totam Graeciam evulgata fuerant, irrumpente e septentrione feriori populo disjectorum fragmenta quaedam, quae apud quasdam gentes delituerunt?» Bode de Orpheo p. 129: «Quum autem certum sit a Pelasgis imprimis Graecorum mysteria originem ducere; deinde quum aeque certum sit mysteria tum demum oriri solere, quum sacra, quae aliquando per Graeciam publice colebantur (nam quis crediderit mysteria cum Graecorum origine conjuncta esse?) potentiorum populorum imperio suppressa in templo-

dotalia genera hereditaria nullo loco commemorantur, non satis idonea est caussa, quapropter ea tum omnino exstitisse negemus auctore Lobeckio (Aglaoph. p. 266): «Sacerdotia an quaedam hereditaria fuerint, quod affirmat Zoëga in comment. antiqu. p. 305, dubito, non quia res per se veri absimilis, sed quia nullo exemplo comprobata.» Nam si seriore tempore reperiuntur sacerdotes hereditarii, nullo modo post Homerum demum orti esse possunt, quum Graeci, studio communis libertatis atque cupiditate maxime flagrantes, quae beneficia jure hereditario niterentur, ea invalescere certe non passi essent; quae res originem illorum esse repetendam ex temporibus antiquissimis clare demonstrat. Si vero quem forte offendat Homeri de hac re silentium, is meminerit, aetatem ejus proximam esse iis temporibus, quibus sacerdotes turbis domesticis erant oppressi. Hi igitur, imperio suo eaque, qua antea florebant, auctoritate destituti, ut se latebris aliquantisper occultarent, coacti sunt; quamquam brevi temporis interjecto spatio inde emergentes in posterum hic illic salva atque incolumi dignitate sanctitateque permanserunt. Eaque ipsa caussa est, cur cultum divinum, cui ante soli tota vitae ratio Graecorum innixa erat, et ex quo res omnes et publicae et privatae quasi vim suam vitalem hauserant, nunc quidem repressum violento temporum impetu atque in solitudines remotum videamus.

Quamvis autem ab aetate heroica non omnis absit honestatis virtutisque sensus atque appetitus, quin etiam certa meliorum morum ac rationis vitae magis compositae vestigia appareant (id quod iis, quae narrantur de vita factisque Thesei et Herculis,[8] aperte indicatur), tamen cultum et sacrorum antistites hujus temporis, quo omnia ad res publicas constituendas referebantur, atque nihil omnino antiquius habebatur, quam ut vitae externae fundamenta ponerentur firmissima, non dicam nullius, sed levioris momenti fuisse nemo erit qui infitietur. Atque quoniam in carminibus Homeri nobis vera et vivida ejus rei imago ante oculos ponitur, primum omnium, ne, hanc materiam uberius tractaturi, a recta via aberremus, ab Homero exordiamur, et sacrarum et civilium Graecorum rerum fonte primario, de iisque personis sacris, quae apud eum reperiuntur, nunc accuratius disputemus.

---

rum claustra se receperint, ibique in sancto recessu postea commissa sint — quodnam temporis momentum huic rei accommodatius esse potest, quam ipsum illud efflorescente heroica aetate suppressum Pelasgorum imperium?»

8) De Hercule cf. Isocr. Philipp. §. 111: *ἐκεῖνος γὰρ ὁρῶν τὴν Ἑλλάδα πολέμων καὶ στάσεων καὶ πολλῶν ἄλλων κακῶν μεστὴν οὖσαν παύσας ταῦτα καὶ διαλλάξας τὰς πόλεις πρὸς ἀλλήλας ὑπέδειξε τοῖς ἐπιγιγνομένοις, μεθ᾽ ὧν χρὴ καὶ πρὸς οὓς δεῖ τοὺς πολέμους ἐκφέρειν.* Hermann. St. A. §. 10, nott. 5, 11. Quod ad Theseum attinet, sunt quidam, qui in ejus nomine notionem *τοῦ θέσθαι*, i. e. constituendi, pristinum rerum ordinem revocandi, latere censeant. cf. Kreuzer. Symb. IV. p. 269.

III. De personis sacris[1]) aetatis Homericae.

Statim hic semel proponantur tituli eorum librorum, quos in ea, quae sequitur, explicatione saepius afferri necesse erit, tumque titulorum loco nomen tantum auctoris memorari sufficiat.

C. Fr. Hermann, Lehrbuch der gottesdienstlichen Alterthümer der Griechen. Heidelberg 1846.

G. W. Nitzsch, erklärende Anmerkungen zu Homers Odyssee. I.—III. Bd. Hannover 1826—1840.

Chr. Aug. Lobeck, Aglaophamus sive de theologiae mysticae Graecorum caussis libri tres. Tom. I. II. Regimontii 1829.

K. Voelcker, Recension des Aglaophamus in Jahn's neuen Jahrbb. f. Philol. u. Paedag. 1832. II. Bd. p. 25 ff.

J. Terpstra, antiquitas Homerica. Lugduni Batavorum 1831.

C. Fr. Naegelsbach, die homerische Theologie in ihrem Zusammenhange dargestellt. Nürnberg 1840.

Legimus apud Platonem Politic. p. 290 C: *εἰσὶ δὲ οἵ τε περὶ μαντικὴν ἔχοντές τινος ἐπιστήμης διακόνου μόριον· ἑρμηνευταὶ γάρ που νομίζονται παρὰ θεῶν ἀνθρώποις...... καὶ μὴν καὶ τὸ τῶν ἱερέων αὖ γένος, ὡς τὸ νόμιμόν φησι, παρὰ μὲν ἡμῶν δωρεὰς θεοῖς διὰ θυσιῶν ἐπίστημόν ἐστι κατὰ νοῦν ἐκείνοις δωρεῖσθαι, παρὰ δὲ ἐκείνων ἡμῖν εὐχαῖς κτῆσιν ἀγαθῶν αἰτήσασθαι.* Hic locus nos docet, eorum hominum, quibus opus erat, ut rationi inter deos et homines mutuae,[2]) qua continebatur divinus Graecorum cultus, satisfieri posset, genera fuisse duo, *μάντεις*, vates, et *ἱερέας*, sacerdotes. De horum utrorumque muneris natura ac finibus jam veteres scriptores eorumque interpretes inter se magnopere dissentiunt: ut Plato[3]) utrosque complectitur uno genere; Hesychius (II, p. 24) refert *ἱερέα* vel in *μάντεων* numerum; Eustathius[4]) vocem *μάντεως* ut notionem generis comprehendere censet *ἱερέα*, *μάντιν* vi angustiore et *ὀνειροπόλον*. Nec vero minus viri docti recentioris temporis de finibus vatum et sacerdotum constituendis secum discrepant: sic Tittmannus (Griech. Staatsverf. p. 82) Calchantem temere nominat sacerdotem graecum; Terpstra[5]) rem prorsus confundit, *ἱερέα* genus, *μάντιν* spe-

1) «Personarum sacrarum appellatione eos denotamus, qui cultum deorum solemnem, hujus cerimonias resque ad eum pertinentes singulas et ipsi rite procurarent, administrarent perficerentque, et alios, qua ratione coli Deos oporteret, edocerent: eos item, qui voluntatem deorum et consilia hominum aperirent atque interpretarentur.» Lakemacher. antiquit. Graecorum sacr. p. 257; cf. Plat. Polit. p. 183.

2) Plat. Euthyphr. p. 14 E: *ἐμπορικὴ ἄρα τις εἴη τέχνη ἡ ὁσιότης θεοῖς καὶ ἀνθρώποις παρ' ἀλλήλων*: Republ. I, p. 331 B: *ὀφείλοντα ἢ θεῷ θυσίας τινὰς ἢ ἀνθρώπῳ χρήματα.* Cic. N. D. I, 42: «est enim pietas justitia adversum deos.»

3) Plat. Symp. p. 202 E: *διὰ τούτου καὶ ἡ μαντικὴ πᾶσα χωρεῖ καὶ ἡ τῶν ἱερέων τέχνη τῶν τε περὶ τὰς θυσίας καὶ τὰς τελετὰς καὶ τὰς ἐπῳδὰς καὶ τὴν μαντείαν πᾶσαν καὶ γοητείαν.* Cic. de div. I, 43: «quis vero non videt in optima quaque re publica plurimum auspicia et reliqua divinandi genera valuisse? nam et Athenienses omnibus semper publicis consiliis divinos quosdam sacerdotes, quos *μάντεις* vocant, adhibuerunt» etc. Plin. Ep. II, 1: «duo sunto genera sacerdotum: unum, quod praesit cerimoniis et sacris, alterum, quod interpretetur fatidicorum et vatum effata incognita» etc.

4) P. 48: *ὥστε γένος μὲν ὁ μάντις, εἴδη δὲ αὐτοῦ ὁ ἐνταῦθα μάντις ἤγουν ὁ ἐνθουσιαστὴς καὶ ὁ ἱερεὺς καὶ ὁ ὀνειροπόλος.*

5) P. 16, §. 2: «quos (sacerdotes) modo *μάντεις*, modo *ἱερῆας*, alibi aliter nuncupat Homerus, nomine

ciem esse censens, itemque Voelckerus.[6]) Haec vero sententiarum varietas nata est maxime ex his duobus Homeri locis: Il. I, 62: *ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα, ἢ καὶ ὀνειροπόλον*, et XXIV, 221: *ἢ οἳ μάντιές εἰσι, θυοσκόοι, ἢ ἱερῆες*: quibus locis inducti interpretum singuli, Hesychio duce, sacerdotes adnumerant vatibus. Eustathius l. l., auctoritate eorum locorum usus, *μάντιν* genus esse censet, *ἱερέα, θυοσκόον, ὀνειροπόλον* species; quam sententiam et ipse amplectitur Heynius.[7]) Nihilo secius autem eam interpretationem his locis subjiciendam mihi quidem persuaderi non potest, quum neque ratio grammatica verborumque positio,[8]) ut Heynio l. l. videtur, hanc postulet, et, ut alio loco explicabimus, res ipsa, qualis se habebat et Homerica aetate et serioribus temporibus, plane repugnet. Quod ab Homero l. l. vates ponuntur primo loco, cum vi quadam id factum censemus, nihilque est, cur eo adducamur in sententiam Eustathii, quoniam pro ipsius rei natura vates, quorum munus versabatur in praesagiundis signis, consulendi erant primi, ad *ἱερέας* vero et *θυοσκόους* officium vaticinandi nisi ut res levioris momenti non pertinebat (cf. infra §. 5). Statuimus igitur in universum fuisse genera personarum sacrarum praecipua duo: unum *ἱερέων* et *θυοσκόων*, quorum utrorumque summa muneris erat sacra facere diis precesque fundere; alterum *μάντεων*, quod plures majoris minorisve momenti complectitur partes, ut sunt *ὀνειροπόλοι, οἰωνοπόλοι*, quorum erat propria voluntatis deorum ex certis signis observatio atque interpretatio.[9]) Jam vero prius illud genus continetur duabus classibus, quarum una est eorum, qui natura vique sua arctissime cohaerebant cum templis, *ἱερεῖς*; altera eorum, quibus societas cum templis erat prorsus nulla, quique ab hominibus adhibiti privato soli religionis usui inserviebant, *θυοσκόοι*.[10])

---

a definita ipsorum officii parte desumto.» Refert in sacerdotum numerum Eurydamantem *ὀνειροπόλον* (Il. V, 149) l. l. §. 5, not. 7, p. 18, §. 6 (in quo errore Tittmannum quoque versari supra diximus), itemque Helenum *οἰωνοπόλον* (Il. VI, 76) l. l.

6) P. 40, ubi dicit sacerdotes sceptro fuisse ornatos, exemplum affert Tiresiam (Od. XI, 90 sq.), qui scilicet vates erat.

7) Observatt. ad Il. I, 62 (Tom. IV, p. 52 sqq.); ad Il. XXIV, 221 (Tom. VIII, p. 654 sq.): «Facile exspectes h. l. dubitationem, sintne tres diversi vatum ordines an duo; multo magis, si memineris similem ambiguitatem A. 62 . . . . , ubi vidimus, *μάντιν* et genericum esse nomen, et vero etiam de singulis partibus dici. Ex positu verborum h. l. videtur probabile, duo genera *μάντεων* h. l. memorari, *θυοσκόους* et *ἱερῆας*» etc.

8) Immo vero mihi in posteriore loco et ipsa grammatica ratio et verborum collocatio videtur aperte declarare, *μάντεις* et *θυοσκόους* oppositos esse *ἱερεῦσιν*: quod si non esset ita, nomen «*θυοσκόοι*» non tam nude juxta «*μάντιες*» fuit ponendum, sed conjunctio *ἢ* apud «*ἱερῆες*» addenda potius voci «*θυοσκόοι*.»

9) Cf. Naegelsb. p. 151 sq.

10) Perperam igitur judicat Voelckerus (p. 42), *θυοσκόους* fuisse sacerdotes: «Dass die *θυοσκόοι* Seher

Quoniam autem inde, quod deorum sacra fieri precesque fundi plurimum intererat, adeo ut haec neglecta ad eorum iram concitandam, oblata ad eam mitigandam gratiamque reconciliandam vim exercerent summam,[11]) has res maxime omnes Graecorum vitae attigisse partes latissimeque patuisse[12]) apparet, nihil mihi antiquius atque aptius videtur esse, quam, aliis omnibus omissis, primum disserere de iis personis, quarum erat sacrificare et precari munus praecipuum.

Caput I.
De sacerdotibus.

Quamquam tempore recentiore in perscrutanda hac materia indagandaque ab multis et doctissimis viris iisque ipsis, quos modo (p. 9 init.) nominavimus, magnum studium multumque operae est consumtum, ut omnes, qui in accuratiore antiquitatis cognitione, praecipue in rebus Graecorum sacris perquirendis versantur, fructus, qui inde redundent uberrimi, accipere debeant animo gratissimo; tamen me rem denuo tractaturum haud inutile quidquam aut superfluum suscipere confido, ac quidem ob eam caussam, quod nonnulli horum virorum modum ac fines, quibus contineatur sacerdotium, excedunt, quodque maxime ea, quae apud Homerum singulatim commemorantur de templis et sacerdotibus, nondum satis enucleate sunt exposita atque accurate inter se comparata. Sed quum locos, ubi ritus sacri cerimoniaeque, quae res ipsae spectant ad sacerdotum munus, peragerentur, et horum et deorum sanctitati convenire sacrosque esse oporteret, atqne templa et sacerdotes, ut infra ostendemus, arctissimo vinculo inter se conjuncti essent, quibus vero Homeri locis hi utrique haud aperte de-

---

waren, folgt auch schon daraus, dass sie zugleich Priester waren, die Priester aber Propheten sind;» sic Naegelsbachius quoque l. l.

11) Il. IX, 497—501: ... *στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί, τῶνπερ καὶ μείζων ἀρετὴ τιμή τε βίη τε. Καὶ μὲν τοὺς θυέεσσι καὶ εὐχωλῇς ἀγανῇσι, λοιβῇ τε κνίσσῃ τε, παρατρωπῶσ᾽ ἄνθρωποι λισσόμενοι, ὅτε κέν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ.* Hesiod. apud Plat. Republ. III, p. 390 E: *δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ᾽ αἰδοίους βασιλῆας.* cf. Eurip. Medea 954: *πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος.*

12) Terpstra p. 21, §. 1: «Suae enim sibi imbecillitatis conscii, quae ipsi efficere non poterant, omnia in Deorum potestate posita credebant. Hos igitur sibi propitios reddere e re sua ducebant, quod (humana omnia ad Deos transferentes) non precibus tantum effici existimabant, sed vel maxime muneribus oblatis votisque susceptis» etc.; idem p. 25, §. 1: «Precibus autem fundendis votisque cum suscipiendis tum persolvendis pietatis officia adimplevisse nondum sibi videbantur, immo vel maxime sacrificiis Deos et flectendos et placandos esse existimabant.» Naegelsb. p. 181: «vielmehr geht, da man der Götter in allen Ereignissen des Lebens, bei jedem Werk' und Vorhaben zu bedürfen überzeugt ist, der Opfercultus, das Brandopfer oder das compendiösere Trankopfer, durch das ganze Leben hindurch, und ist gleichsam ein in eine Handlung eingekleidetes Gebet.»

notati tamen certe sint statuendi, non omnes idem sentiant, ante omnia eam rem accuratius examinemus necesse erit, eoque magis, quod hanc externam sacerdotii partem firmiter constitui permagni interest ad sacerdotum aetate Homerica numerum atque vim eorum et provinciam recte subtiliterque definiendam.

§. 1.

De numero templorum.

Enumerandi sunt ii Homeri loci, in quibus templa aut aperte nominantur, aut non nominata statuantur certis de caussis necesse est.

I. Non amplius exstant loci quatuor, ubi templa aperte ac nominatim commemorantur, ut dubitationi nullus sit locus.

1) Il. I, 39: *εἴποτέ τοι χαρίεντ᾽ ἐπὶ νηὸν*[1]) *ἔρεψα.* Templum Apollinis Chryses[2]) exstructum cum Chryse sacerdote (l. l. 370: *Χρύσης δ᾽ αὖθ᾽, ἱερεὺς ἑκατηβόλου Ἀπόλλωνος*).

2) Il. VI, 297 — 300: *Αἱ δ᾽ ὅτε νηὸν*[3]) *ἵκανον Ἀθήνης ἐν πόλει ἄκρῃ, τῇσι θύρας ὤϊξε Θεανὼ καλλιπάρῃος..... τὴν γὰρ Τρῶες ἔθηκαν Ἀθηναίης ἱέρειαν.* Templum Minervae in Trojae arce situm cum Theano sacerdote.

3) Il. V, 445 sq.: *Αἰνείαν δ᾽ ἀπάτερθεν ὁμίλου θῆκεν Ἀπόλλων Περγάμῳ*[4]) *εἰν ἱερῇ, ὅθι οἱ νηός*[5]) *γ᾽ ἐτέτυκτο.* Templum Apollinis ibidem exaedificatum, quo Aeneam a Diomede fugatum servat.[6])

4) Il. II, 549: *κὰδ δ᾽ ἐν Ἀθήνῃς εἷσεν, ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ.* Templum Minervae Athenis, quod Od. VII, 81 nominatur *Ἐρεχθῆος*[7]) *πυκινὸς δόμος.* Lobeckius p. 257 dicens: «nisi quid suspicari libet» etc., nescio qua permotus ratione, fueritne hic templum, dubitat.

---

1) Ara commemoratur v. 440, 448.

2) Chryse erat urbs ad Troadis oram, haud procul a Cilla et Thebis sub Idae radicibus sita, ubi Apollo Sminthei nomine colebatur; cf. Il. l. l. 37 sqq. c. interprett.

3) V. 88, 269 et alibi. Idem templum v. 89 nominatur *ἱερὸς δόμος. Δόμος* et *δώματα* apud Homerum saepe ad templum denotandum usurpatur: Od. VII, 81 «*πυκινὸν δόμον*» de Erechthei templo; Il. XIII. 21 et Od. V, 381 «*κλυτὰ δώματα*» de aede Neptuni Aegis exstructa.

4) Hoc est nomen Trojae arcis.

5) Cf. Il. IV, 508; VII, 83. Hoc templum nuncupatur Il. V, 448. 512 nomine *ἀδύτου*, quod vocabulum, ut *ἄβατον*, proprie significat locum sacrum, ad quem nisi sacerdoti adire non licebat (*τόπος τῶν ἱερῶν, εἰς ὃν οὐκ ἔξεστιν ἐσιέναι πᾶσιν*, ut Schol. D. ad Il. V, 448 interpretatur; Caes. B. C. III. 105: «Pergami in occultis ac reconditis templi, quo praeter sacerdotes adire fas non est, quae Graeci *ἄδυτα* appellant, tympana sonuerunt.» Poll. Onom. I, 9: *εἰ μέντοι καί τι χωρίον ἄβατον εἴη τοῦ ἱεροῦ, τοῦτο καὶ ἄδυτον εἴποις ἂν καὶ ἄψαυστον καὶ ἀνάκτορον κ. τ. λ.*), et ubi vetustiora atque rigidiora cultus signa (*ἀγάλματα οὐ φανερά*, Paus. II. 4, 7) ab hominum conspectu remota (*ἐν ἀποῤῥήτῳ*, idem II. 7, 6) recondebantur. Similem vim habet *μέγαρον*: Suid. II. p. 516: *ὤθει ἑαυτὸν εἰς τὸ μέγαρον, ἔνθα τῷ ἱεροφάντῃ μόνῳ παρελθεῖν θεμιτὸν ἦν.* cf. Herod. VIII, 37.

6) Cf. Il. l. l. 512 sq.

7) Erechtheus erat almae Telluris filius, quem Minerva nutritum Athenis pingui templo suo recepit. cf.

Ea sententia ut quam falsa sit intelligatur, primum Apollo, Minerva, Neptunus Graecorum erant *θεοὶ πατρῷοι*,[18]) qui in totam civitatem exercere maximam vim existimabantur. Talibus utique diis deesse cultum templo conjunctum fas non erat. Deinde autem, quod ad Neptunum attinet, praecipue id animo teneamus, ejus cultum, ubicunque reperiatur, tam arcte cohaerere cum loci natura, ut ab hac ipsa eum profectum esse, nec ibi templa Neptuni abfuisse putandum sit; quod valet de insulis, de oris maritimis,[19]) de promontoriis, de portubus, et quae sunt generis ejusdem. Sic Neptunus tempore historico Aeginae,[20]) Sami,[21]) in promontorio Geraesto (cf. 7, b) et Taenaro,[22]) in portu Piraeo[23]) maxime festis certaminibusque colebatur. Denique voces «*κλυτὰ δώματα*,» quibus neutiquam universe tantum domicilium quoddam denotatur, jam per se satis indicant templum.

2) Loci, ubi sacerdotes nominantur; qui loci ad eos, de quibus modo diximus, proxime pertinent ob eam necessitudinem, quam templa habebant cum sacerdotibus (vid. infra §. 4).

a) Il. V, 9 sq.: *Ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Δάρης...., ἱρεὺς Ἡφαίστοιο.* Templum Vulcani Trojae exstructum.

b) Il. V, 77 sq.: .... *υἱὸν ὑπερθύμου Δολοπίονος, ὅς ῥα Σκαμάνδρου*[24]) *ἀρητὴρ ἐτέτυκτο.* Templum Scamandri,[25]) dei fluminis ejusdem nominis, cujus undae planitiem Trojae adjacentem

---

18) Hermann. §. 7, 5: «Die eigentlichen Stamm- oder Staatsgötter, in welchen sich die sittliche Idee der Staatsgemeinschaft selbst ausprägte, und deren Existenz mit dieser dergestalt verwachsen schien, dass ihre Verehrung zur Lebensbedingung des Gemeinwesens ward» etc.

19) Ut in Achaia; vid. infra 7, a.

20) Plut. qu. Gr. 44: *τίνες ἐν Αἰγίνῃ οἱ μονοφάγοι; τῶν ἐπὶ τὴν Τροίαν στρατευσάντων Αἰγινητῶν πολλοὶ μὲν ἐν ταῖς μάχαις ἀπώλοντο, πλείονες δὲ κατὰ πλοῦν ἀπὸ τοῦ χειμῶνος.... ταῦτ᾽ οὖν ἀπομιμούμενοι τῷ Ποσειδῶνι θυσίαν ἄγουσι τοὺς καλουμένους θιάσους, ἐν ᾗ καθ᾽ αὑτοὺς ἐφ᾽ ἡμέρας ἑκκαίδεκα μετὰ σιωπῆς ἑστιῶνται, δοῦλος δ᾽ οὐ πάρεστιν· εἶτα ποιήσαντες Ἀφροδίσια διαλύουσι τὴν ἑορτήν.* cf. O. Mueller. Aeg. p. 148.

21) Strab. VIII, p. 529: *ὅπου τὸ μάλιστα τιμώμενον τοῦ Σαμίου Ποσειδῶνος ἱερόν· ἐστὶ δὲ ἄλσος ἀγριελαίων πλῆρες· ἐπεμελοῦντο δ᾽ αὐτοῦ Μακίστιοι, οὗτοι δὲ καὶ τὴν ἐκεχειρίαν ἐπήγγελλον, ἣν καλοῦσι Σάμια.*

22) Hesych. II, p. 1339: *Ταινάρια παρὰ Λακεδαιμονίοις ἑορτὴ Ποσειδῶνος καὶ ἐν αὐτῇ Ταιναρισταί.* cf. O. Mueller. Dor. I, p. 403.

23) Vitt. X. oratt. p. 842: *ἔτι δὲ ὡς τοῦ Ποσειδῶνος ἀγῶνα ποιεῖν ἐν Πειραιεῖ κυκλίων χορῶν οὐκ ἔλαττον τριῶν, δίδοσθαι μὲν τοῖς νικῶσιν οὐκ ἔλαττον δέκα μνᾶς, τοῖς δὲ δευτέροις ὀκτώ, ἓξ δὲ τοῖς τρίτοις κριθεῖσιν.*

24) Idem, qui a diis *Ξάνθος* appellatur: Il. XX, 74: *ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοί, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον.* cf. Il. I, 403 sq.: *ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίων*: Il. II, 813 sq.: *τὴν ἤτοι ἄνδρες Βατίειαν κικλήσκουσιν, ἀθάνατοι δέ τε σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνης.* Plura de deorum lingua vid. apud Naegelsb. p. 177—179.

25) Heynius ad hunc locum monet: «Scamandrum sua sacra, suum sacerdotem habuisse, notatu dignum.»

irrigabant. Id templum eo minus addubitari potest, quod, ut narrat Apollod. III, 12. 1, ille erat pater Teucri et Callirrhoes, ergo proavus stirpis Trojanorum regiae. Veteres populos saepius ipsos majores prosecutos cultu divino habuisse in deorum numero inter omnes constat. Huc accedit alia haud levioris momenti ratio, quod *Σκάμανδρος* Il. XX, 73 *μέγας Ποταμὸς βαθυδίνης* nominatur, qui hieme aquis montanis auctus super ripasque effusus inundabat totam regionem; quae violenta rapidaque fluvii natura nobis demonstrat, quomodo factum sit, ut Trojani pro ea, qua prisca vetustas imbuta erat, superstitione ad vim tam immensam quasi coercendam ad numenque dei et ipsis et toti regioni tam infesti reddendum propitium pari honore cum atque deos maximos colerent. Hoc ipso loco levitas sententiae, quam Pellegrino[26]) tuetur, diis fluvialibus statuas in templis nondum positas fuisse, refutatur; nam ubi fuerunt templa, ibi etiam statuae.

c) Il. XVI, 604 sq.: *υἱὸν Ὀνήτορος, ὃς Διὸς ἱρεὺς Ἰδαίου*[27]) *ἐτέτυκτο*: cf. Il. VIII, 47 sq.: *Ἴδην δ' ἵκανεν πολυπίδακα, μητέρα θηρῶν, Γάργαρον,*[28]) *ἔνθα δέ οἱ τέμενος βωμός*[29]) *τε θυήεις.* Templum Jovis Idaei cum agro sacro (et ara) in meridionali Idae parte, cui nomen erat *Γαργάρῳ*, situm. Dicit Lobeckius p. 258 haec: «quibus verbis poeta locum consecratum designat Jovis in Gargaro, Il. VIII, 48,» tumque pergit: «quem (Onetorem) arae Idaeae curam habuisse credibile est.» Hermannus §. 17, 13 his verbis: «Allerdings konnte nicht leicht ein Tempel ohne Altar, wohl aber fortwährend ein Altar ohne Tempel sein, sobald nur die Stätte anderweit geheiligt war,» not. 13 addit exemplum Il. VIII, 48, et quae §. 19, 3 affert: «so fehlte es auch später nicht an Cultusräumen, die ohne Gebäude nur durch eine Mauer oder dgl. gegen das Profane abgegränzt» etc., ea ad hunc locum accommodat (cf. l. l. not. 3), mirans, quod Nitzschio II, p. 219 hic templum statuendum esse videatur; item Naegelsbachius p. 173 templum negat. Contra Nitzschius,[30]) Voelckerus,[31])

---

26) Ueber den urspr. Relig. Unterschied d. Patricier u. Plebejer, Lpz. 1842. p. 69: «Dass der Flussdienst symbolisch war, wird zwar nicht ausdrücklich gemeldet, allein das vollkommene Schweigen der Alten über Standbilder der Flussgottheiten, so wie die Sitte ihr Fest an den Quellen selbst zu feiern, wobei man Kränze in die Gewässer warf und die Brunnen bekränzte, scheint dafür zu sprechen, dass sie als wahre Naturgötter noch keine in den Tempeln aufgestellte Standbilder hatten.»

27) Il. III, 276: *Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε*· quibus verbis Jupiter apud Homerum saepius invocatur: Il. VII, 202; XXIV, 308. De Jove Idaeo praeterea cf. Il. VIII. 170. 397. 438; XIV, 157, 286—293. 352; XV, 146. 169. 237; XXII, 170—172; XXIV. 290 sq.

28) Il. XIV, 292 sq. 352; XV, 151 sqq.

29) Eadem ara Il. IV, 48; XXIV, 69.

30) Ad III, 459.

31) P. 59: «So dürfen wir neben Il. VIII, 48 einen Tempel des Zeus auf der Burg Ilium nicht ausschliessen, welcher Il. IV, 48 und XXIV, 69, vgl. XXII, 172 sq. gemeint ist.» Corrigamus hic errorem Voelckeri, qui p. 58 illum locum (Il. VIII, 48) commemorans de ararum positione sic judicat: «Von den Altären, die genannt werden, sind die meisten nicht nur nicht in Tempeln, sondern auch nicht

II. Ceteri loci omnes sunt ejusmodi, quibus interpretandis explicandisque firma subsidia varii generis adhibeantur necesse sit, propterea quod ibi neque ex singulis vocibus significationibusve, neque ex tota orationis serie certo potest definiri, templumne poeta, an universe locum consecratum velit intellectum; quos locos accuratius tractare atque examinare contrarias de iis sententias virorum doctorum, qui munus hujus difficilioris materiae evolvendae susceperunt, plurimum, ut persuasum nobis quidem est, valebit ad quaestionem, quam tractaturi sumus, illustrandam. An vero, ubi templa non aperte nominantur, ibi, auctore Lobeckio, nihil fuisse nisi lucos et aras sumamus, ubi solum *ἄλσος* et *βωμός*, semper exstitisse, ut placet Voelckero, templa? Quod utrumqne contrarium ne amplectamur, locos singulatim perlustremus iisque perlustratis, quid inde efficiatur, videamus.

1) Loci, ubi voces idem fere, quod *νηός*, significantes reperiuntur.

a) Il. IX, 404 sq.: *οὐδ' ὅσα λάϊνος οὐδὸς*[8]) *ἀφήτορος ἐντὸς ἐέργει, Φοίβου Ἀπόλλωνος, Πυθοῖ*[9]) *ἐνὶ πετρηέσσῃ.* Templum Apollini Delphis exstructum. Sine dubio *λάϊνος οὐδὸς* templum ipsum significat. Duncan. lex. Homer. s. v. *οὐδός*: «ponitur poetice pars pro toto, pro janua, immo pro aede ipsa;» cujus dictionis exempla similia possunt afferri multa.[10]) Lobeckius p. 257 nimis dubitanter dicit: «nisi quid suspicari libet de aede Apollinis Pythii.» O. Muellerus Archaeol. p. 29[11]) hic locum subterraneum, ubi thesauri reservati essent, dici censet; quod ita se non habere docet usus nominis *οὐδοῦ*[12]) frequentissimus, praecipue autem Od. VIII, 80 sq.: *ὅθ' ὑπέρβη λάϊνον οὐδὸν χρησόμενος*, quae voces ad idem templum spectantes huic interpretationi prorsus repugnant; an forsitan sibi quis persuadere possit, his verbis subesse sensum, Agamemnonem oraculum Apollinis consulturum cellam thesaurorum subterraneam fuisse transgressum?[13]) Nitzschius ad III, 439, p. 221 et Terpstra p. 14, §. 5 extr. mecum consentiunt, item Heynius ad hunc locum.

Il. II, 547 sq. Xen. Memor. III, 5, 10. Fabula posterioris aetatis discrimen facit inter Erechtheum et Erichthonium. cf. Apollod. III, 14, 6; Plat. Menex. 7. Una cella templi Minervae in acropoli siti sacrata erat Erechtheo (*οἴκημα Ἐρέχθειον*, Paus. I, 26, 6). cf. Herod. V, 82; VIII, 55; O. Mueller. Minervae Poliadis sacra et aedes, imprimis p. 18 — 23.

8) Od. VIII, 80.

9) Vetustum nomen Delphorum sub Parnassi radicibus, cujus situs caussa *πετρήεσσα* nominatur (nunc Kastri). Vossius (Mythol. Br. T. III, p. 109) nomen Delphorum circa Ol. 40 exortum esse censet. De oraculi delphici origine cf. Paus. IX, 37; X, 5.

10) Quo loquendi usu etiam apud latinos poetas nihil est frequentius.

11) «Der *λάϊνος οὐδὸς* zu Delphi war ein Thesauros, Il. IX, 404, den die Minyeischen Baumeister aus kyklopischen Felsmassen errichtet haben sollen.» cf. Nitzsch. ad VIII, 80.

12) Sic usurpatur Od. XVI, 41 de Eumaei tugurio; XVII, 30 de Ulyssis domo.

13) Ceterum in voce «*λάϊνος*» hoc loco nihil aliud quaerendum esse puto nisi quoddam epitheton ornans, quod, ut alii, quos supra indicavi, loci demonstrant, in Homero usitatum ac tritum est; quam ob

b) Il. XIII, 21: ... Αἰγάς[14]) ἔνθα δέ οἱ κλυτὰ δώματα[15]) βένθεσι λίμνης: cf. Od. V, 381. Templum Neptuni Aegis[16]) Euboeae situm (cf. infra 7, a, b). Voelckerus p. 38 jure hic templum fuisse contendit, Nitzschius[17]) negat. Lobeckius p. 257 non modo Neptuno, sed ne Apollini Pythio quidem, nec Minervae Athenis templum vindicandum censet. Mihi vero ea ratio videtur mira, idque maxime de Minervae aede (cf. supra I, 4), quae planissime nominatur νηός (Il. II, 549).

---

caussam equidem eam vocem non habuerim pro singulari epitheto Delphici templi, ut videtur Heynio l. l.: «quia et Od. Θ, 80 occurrit: Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ, ὅθ' ὑπέρβη λάϊνον οὐδόν, sive, quia tota aedes lapidibus erat structa, sive, cum Pausan. X, 5, p. 810 non nisi quartum templum Trophonii et Agamedis opera lapide structum narret, quod, cum ipsa aedes esset ista aetate ex lauro structa, substructio tamen limen e lapide factum erat.»

14) Hoc nomen, urbibus Neptuni domiciliisque proprium, cum voce «αἶγες» (ἀΐσσω, ἄσσω), quae vox significat undas ipsas, cohaerere verisimile est; cf. O. Mueller. Prolegg. p. 272.

15) De hac voce cf. supra I, 2, not. 3.

16) Jam veteres dubitabant, quaenam Aegae hoc loco significarentur. Erant enim urbes plures nominis ejusdem: in Aeolide apud Cymen (Plut. Them. c. 26; Xen. Hellen. IV, 8, 5), in Cilicia (Athen. II, 43 A), in Achaia (Il. VIII, 203; cf. infra 7 a) et in Euboea (Strab. VIII, p. 386). Priorem utrumque locum (in Aeolide et Cilicia) hic intelligi orationis nexus vetat, quamquam ex Od. V, 282 sq. Neptunum ex Aethiopia redeuntem in montibus Solymorum, qui in Lycia (Herod. I, 173), haud procul ergo a Cilicia incolebant, commoratum fuisse scimus. Aegae Achaicae, ubi Neptuni cultus maxime vigebat (vid. infra l. l.), illi loco bene convenirent, nisi situs hujus urbis remotior itinerisque, quod ei a Samothrace usque ad Achaiam (Il. XIII, 11 sqq.) faciendum erat, longior ambitus aliquantulum offenderet. Recte igitur Strabo l. l. Aegas Euboicas vel insulam Euboeae vicinam hic dici censet. Nitzsch. ad V, 381 monet haec: «Euböa könnte für unsern Poseidon zwar als ein ganz schicklicher Punkt erscheinen; aber in der Stelle der Ilias, die auch für die unsrige entscheiden muss, gebieten die Umstände ein drittes Aegä vorzuziehn,» auctoritate usus Vossii Antisymb. 2, p. 449: «Aegä war, wie Plinius (IV, 12) las, mehr Fels als Insel, zwischen Tenos und Chios; wer von Korinth nach Andros schiffte, sah ihn rechts, den grausen und verderblichen Fels.» Dubitandum quidem non est ex schol. ad Apoll. I, 831, quin Aex Plinii (l. l. c. 18) et Aegae unum idemque nomen sit; sed primum quaenam tandem res suadent alias Aegas, ut placet Nitzschio l. l., esse praeferendas? Deinde num quis putet in rupe vasta desertaque, quam, auctore Eustathio ad Il. XIII, 21, pestiferam abhorrebant homines, exstitisse κλυτὰ δώματα, χρύσεα, μαρμαίροντα (Il. l. l. 21 sq.)? quae quidem epitheta templum pulcherrimum maximeque splendidum, ab hominum commercio non sejunctum designant. Nonne vero multo accommodatius videatur ac probabilius, haec κλυτὰ δώματα ibi fuisse, ubi ex loci rerumque natura templum exstrui atque cultum exsistere celebritatemque quandam consequi posset? quas res in illam insulam saxeam certe nullo modo neque Homeri aetate, neque postea cadere constat. Utroque igitur loco, auctore Strabone, Aegas in Euboea sitas intelligimus, praesertim quum Neptunus in hac insula etiam alibi, ut Geraesti (Od. III, 177 sq.; vid. infra 7 b), summa coleretur religione.

17) Ad V, 381: «Doch einen eigentlichen Cultusort hat man in den beiden fraglichen Stellen gar nicht zu suchen,» quamquam in insula Euboea Neptuni cultum maxime viguisse concedit (l. l.).

Terpstra,[32]) templum ibi fuisse censent, et quidem recte. Primum enim Jupiter erat Trojanorum deus praecipuus, qui idem in Trojae arce colebatur (cf. infra 6, a); deinde ubi exsistit *τέμενος*, ibi jam per se intelligendum est templum; tum alia ratio vel inde petenda est, quod, ut Graecorum erat opinio, loca altiora dii valde amabant, qua de caussa exstrui templa solebant locis editioribus[33]) (ut templa Minervae et Apollinis; cf. supra I, 2. 3); denique etiam voces «*Ἴδηθεν μεδέων*» (Il. III, 276), i. e. dominus Idae moderatorque, et «*Ἰδαῖος*» (Il. XVI, 605; XXIV, 291), i. e. qui in Ida domicilium habet, omninoque summa eorum omnium Homeri locorum, ubi Jupiter ipse sacrificia sibi illic oblata cum gravitate quadam atque ostentatione praedicat in Idaque commorans inducitur (cf. supra p. 16, not. 27), nonne haec omnia dilucide planeqne ostendant, prae aliis eo loco Jovem diutissime atque libentissime fuisse versatum? Quas qui rationes cunctas diligenter computarit, ei omnis dubitatio, num fuerit ibi templum, evelletur.

d) Od. IX, 197—201: *Μάρων, Εὐάνθεος υἱός, ἱ ρ ε ὺ ς Ἀπόλλωνος, ὃς Ἴσμαρον*[34]) *ἀμφιβεβήκει... ᾤκει γὰρ ἐν ἄλσεϊ δενδρήεντι Φοίβου Ἀπόλλωνος.* Templum Apollinis Ismarii cum luco. Voelckerus p. 38, Naegelsbachius,[35]) Terpstra,[36]) hic solum lucum fuisse dicunt. Nitzschius ad VIII, 363 sqq. dicit: «doch steht nichts entgegen, ja es ist wahrscheinlich, dass wir IX, 200 f.... in dem *ἄλσος* ein Tempelhaus zu denken haben;» non probabile est, immo certum. Difficile est

---

in Städten,» et p. 39: «Ausser den Altären in den Vorhöfen und auf der Agora, sind alle übrigen Altäre nicht nur in Tempeln, sondern auch in Städten;» itemque Naegelsb. p. 175 putat aras fuisse in templis. Sed hoc nisi apud templa hypaethra non reperitur, de qua re latius exponit Hermannus, Ueber die Hypaethraltempel des Alterthums. Götting. 1844. p. 14 sqq.: «Denn was die Altäre betrifft, so ist so viel sicher, dass dieselben in der Regel nicht innerhalb der Tempel, sondern vor denselben im Freien ihren Platz hatten» etc.

32) P. 13, §. 5.

33) Terpstra p. 11, §. 1: «Altiorum autem locorum, montium praesertim, inhabitationem adamare Deos, ex eorundem superiora amantium natura conjiciebant, quo factum, ut dein, qui urbes habitabant, eas etiam numinibus consecrarent sedium suarum partes, quae ceteris eminerent;» et p. 13, §. 5: «Inprimis tamen editiore loco constructa fuerunt, ut ex iis patet, quae ubivis commemorat Homerus.... Exemplo luculento mons Ida» etc.

34) Cui urbi postea Maroneiae nomen fuit. Nitzsch. ad IX, 39: «Bei den Spätern wird die Gegend gewöhnlich durch die Stadt Maroneia bezeichnet (auch von Demosth. g. Polykl. S. 1213), welche von Maron ihren Namen haben soll. ... Doch nennt Herodot einen See Ismaris.» Sita erat in Thracia ad Hebrum supra Thasum in terra Ciconum (Herod. VII, 59. 108—110; Pomp. Mela II, 2. 8), qui Trojanis auxilia miserant (Il. II, 846; XVII, 73), et quibuscum Ulyssi erat certamen; cf. Od. IX, 39—66. 165; XXIII, 310.

35) P. 176: «An den heiligen Oertern, deren Obhut dem Priester vertraut ist, so dass er z. B. in dem *ἄλσος* seines Gottes wohnt (Od. *ι*, 200), fungirt er als *ἱερεύς*.»

36) P. 12. §. 3 extr.: «Ne tamen promiscuo aditu violarentur (*ἄλση*), sacerdotes inibi habitasse, argumento est Maron» etc.; et p. 18, §. 6: «Maron etiam Phoebi sacerdos degebat in luco.»

enim ad intelligendum, qua ratione in luco, qui neque circumseptus erat (vid. infra sub fin. h. §.), nec aedificia habebat in dei ministrorum usum exstructa (cf. infra §. 4 init. c. not. 4 sqq.), degere potuerit sacerdos, nisi forte quispiam sub divo eum id facere potuisse alucinatur; adde, quod voce «ἀμφιβεβήκει»[37]) nobis a poeta Apollo proponitur ut Ismari vindex, cujus fidei atque tutelae salus urbis totiusque regionis fuerit commissa. An forte tutelari deo templum defuisse probabile est?

Ac de his quidem locis, qui ad confirmandum id, quod de summa quadam templorum et sacerdotum statuimus necessitudine, plurimum valent, in praesentia satis dictum est.[38])

3) Loci, ubi *τέμενος*[39]) (cum ara) nominatur.

a) **Od. VIII, 362** sq.: *ἡ δ' ἄρα Κύπρον ἵκανε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη, ἐς Πάφον· ἔνθα δέ οἱ τέμενος βωμός τε θυήεις.* **Templum Veneri Paphi dedicatum cum agro sacro (et ara).** Lo-

---

37) Cf. Il. I, 37, ubi de Apolline poeta utitur eadem voce.

38) De Sellis et de sacerdotibus, qui Il. I, 62; IX, 575 commemorantur, infra dicemus.

39) Liceat mihi hic pauca monere de vario usu vocis «*τέμενος*,» cujus vim fere unam eandemque esse ac latini nominis «templi» Nitzschius recte observat ad VI, 293. Origo illius vocis repetenda est ex verbo «*τέμω, τέμνω*,» et in genere est locus a finitima regione sejunctus, «*τόπος ἀποτομὴν τῶν πέριξ ἔχων, ἀφωρισμένος*, i. e. *ὅρῳ ἰδίῳ περιγεγραμμένος, ἀποτετμημένος τῶν ἐγγύς*:» Duncan. s. v. *τέμενος*. Haec est vis primaria et generalis; sed apud Homerum *τέμενος* notionem habet aut profanam aut sacram. Hesych. II, p. 1363: *Τέμενος πᾶς ὁ μεμερισμένος τόπος τινὶ εἰς τιμήν, ἢ ἱερὸν καὶ βωμὸς ἢ ἀπονεμηθὲν θεῷ ἢ βασιλεῖ.* Terpstra p. 11, not. 3: «*Τεμένη* universe notant etiam quaelibet loca communi usu exemta, atque Diis, regibus, heroibus honoris ergo consecrata.» cf. Schol. ad Il. II, 696; XVIII, 550. Ex profana vi *τέμενος* est ager a populo ex agris publicis principi virtutis et praemii caussa datus, Königsflur («Durch Zutheilung eines Stück Landes aus dem Gemeingute ehrte man im Heldenalter das Verdienst:» Koeppen, ad Il. VI, 194), qui plerumque ex campis, pascuis locisque arboribus consitis constabat. Hac vi saepius est apud poetam: Il. XX, 184 de Aenea; Il. IX, 578 de Meleagro; Il. XII, 313 Sarpedon Glauco dicit: *καὶ τέμενος νεμόμεσθα μέγα κ. τ. λ.* Od. VI, 293 Nausicaa ait: *ἔνθα δὲ πατρὸς ἐμοῦ τέμενος, τεθαλυῖά τ' ἀλωή* (cf. Thuc. III, 70 de Alcinoi agro, qui a Corcyraeis adhuc Thucydidis temporibus monstrabatur): Od. XVII, 298 sq.: *ὄφρ' ἂν ἄγοιεν δμῶες Ὀδυσσῆος τέμενος μέγα κοπρίσσοντες*: et alibi (Virg. Aen. IX, 274: Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus). cf. Terpstra p. 69 sq. Sacra vero notio continet significationem aut angustiorem aut latiorem; ex altera *τέμενος* est ager deo cuidam consecratus (Etym. M. p. 751, 45: *τέμενος ὁ ἀποτετμημένος καὶ ἀποκεχωρισμένος τόπος τῷ θεῷ*), qui proxime circa templum situs erat: sic Il. VIII, 48 (cf. supra 2, e), Od. VIII, 363; Il. XXIII, 148 (Terpstra p. 11, §. 2: «Primum certae agrorum portiones Diis fuerunt dicatae, quae *τεμένη*, quasi *τετμημένα*, ab Homero dicuntur, communi usu exemtae, ara fere insignes et septo a reliqua agri parte separatae.» cf. Kreuser., der Hellenen Priesterstaat, p. 140 sq.). Ex altera vi *τέμενος* est ager sacer, qui amplus magnoque ambitu non templum solum, sed etiam urbem atque regionem adjacentem complectebatur (id quod Nitzsch. ad III, p. 221 exprimit his verbis: «Heiligthümer ganzer Städte und Gebiete»). Idem valet *ἄλσος* Il. II, 506, qui universim est locus sacer arboribus densus (Od. VI, 291 sq.; XX, 278 et alibi; cf. Terpstra p. 12, §. 3). De hoc rariore utriusque vocis usu cf. infra 3.

beckius p. 258 intelligit hic modo lucum: «Quibus verbis (τέμενος βωμός τε θυήεις) poeta locum quoque Veneri consecratum apud Paphios designat;» item Hermannus §. 17, 13: «Allerdings konnte nicht leicht ein Tempel ohne Altar, wohl aber fortwährend ein Altar ohne Tempel sein, sobald nur die Stätte anderweit geheiligt war,» quibus verbis adjungas exempla, quae not. 13 affert, quodque praeterea dicit §. 19, not. 3. Contra Nitzschius,[40]) Voelckerus,[41]) Naegelsbachius[42]) recte ibi templum fuisse existimant. Nam primum Paphum Venus maxime in deliciis habebat, frequentabat inhabitabatque,[43]) quod, si templum abfuisset, eam fecisse non est verisimile; tum e certis temporis historici testimoniis plane apparet, Venerem jam antiquissimis temporibus Paphi habuisse templum inclytum atque celeberrimum: Herod. I, 105: ἔστι δὲ τοῦτο τὸ ἱρόν, ὡς ἐγὼ πυνθανόμενος εὑρίσκω, πάντων ἀρχαιότατον ἱρῶν, ὅσα ταύτης τῆς θεοῦ (τῆς οὐρανίης Ἀφροδίτης) κ. τ. λ.[44]) Quae vero sententia adeo gravissimi testis auctoritate adjuvatur, eam haud facile infirmandam existimo. Denique τέμενος ipsum, ut mihi quidem placet, necessario desiderat templum (vid. supra 2, c et infra sub fin. h. §.); quae eadem ratio multum efficiet, ut mea de sequenti loco sententia probetur.

b) Il. XXIII, 144 sqq.: Σπερχεῖ, ... πεντήκοντα δ' ἔνορχα παρ' αὐτόθι μῆλ' ἱερεύσειν ἐς πηγάς, ὅθι τοι τ έ μ ε ν ο ς βωμός τε θυήεις. Templum Sperchei, Thessaliae fluminis, cum agro sacro (et ara). Dicit Lobeckius p. 258: «Spercheo suum constat in Hellade τέμενος βωμός τε θυήεις.» Hermannus quoque (§. 17, not. 1; cf. not. 13 et §. 19, 3 c. not.) hoc loco nihil nisi agrum sacrum intelligit; Nitzschius ad VIII, 363 sqq. in dubio relinquit, sed ad III, p. 221 τέμενος hic totam regionem Spercheo sacram censet significare, quae vis vocis τεμένους quamquam occurrit (vid. supra not. 39 et infra 5 a), tamen ad hunc locum pertinere non potest. Equidem statuo templum; nam diis fluvialibus, quorum cultus maxime attingit naturam loci,

40) Ad. III, 439, p. 221.

41) P. 38: «Bei einem τέμενος fehlte wohl in den wenigsten Fällen ein Tempel; so gewiss nicht .... zu Paphos, obgleich der Dichter nur den Ausdruck braucht: τέμενος βωμός τε θυήεις Od. VIII, 363.»

42) P. 175: «er (der Tempel) ist blos Opferstätte, und wird von der Gottheit nur zuweilen besucht (Od. ϑ, 362 ff.).»

43) Virg. Aen. I, 415—417: «Ipsa Paphum sublimis abit sedesque revisit laeta suas, ubi templum illi centumque Sabaeo ture calent arae sertisque recentibus halant;» X, 51. Horat. Od. I, 30, 1; III, 28, 13—15.

44) Muenter, Tempel der himmlischen Göttin zu Paphos, p. 1: «Der paphische Tempel war uralt, nach dem Vorbilde des askalonitischen erbaut: Herod. 1, 105. Will man auch alte Sagen bei Paus. VIII, 5, 2. Tacit. Histor. II, 2. Annal. III, 62. Euseb. im Chron. nicht geltend machen, so ist so viel gewiss, dass seiner schon in den homerischen Gesängen Erwähnung geschieht, Od. und Hymn. a. Herm. 58. Dass er ein Orakel hatte und grosse Reichthümer an Weihgeschenken besass, bezeugen Suet. Tit. 5. Tacit. Hist. II, 2. 4. Paus. VIII, 24. Jetzt hat der Ort wieder seinen uralten Namen Koukla, höchst wahrscheinlich einerlei mit Golgoi bei Paus. VIII, 5.» Plin. H. N. II, 96: «celebre fanum habet Veneris Paphus» etc.; cf. Hesiod. Theog. 991, ubi agitur de pluribus Veneris templis.

neque simulacra nec templa fuisse,[45]) universe dictum verum esse concedens, id tamen posse accommodari ad ipsam Homeri aetatem negandum censeo, quoniam ea, quae sunt supra (2, b) demonstrata de Scamandro, huic sententiae prorsus nullo modo conveniunt, nihilque est caussae, cur, quod ei tributum sit, id Spercheo detrahentes ad sententiam contrariam descendamus. Tum autem, praeterquam quod *τέμενος* et templum, ut modo diximus, necessitate quadam juncta erant, mea sententia confirmetur fortasse etiam ea re, quod maximam vim Spercheus habebat ad Thessaliae fertilitatem.

4) Loci, ubi *ἄλσος* (cum et sine ara) commemoratur.

a) **Od. XVII, 208—211**: *ἀμφὶ δ' ἄρ' αἰγείρων ὑδατοτρεφέων ἦν ἄλσος ..... βωμὸς δ' ἐφύπερθε τέτυκτο Νυμφάων, ὅθι πάντες ἐπιῤῥέζεσκον ὁδῖται.* Nympharum lucus Ithacae cum ara prope urbem situs. Templum hic non statuendum esse, Hermannus (§. 17, not. 15), Lobeckius (p. 258), Nitzschius (ad VIII, p. 219) recte judicant. Nymphae, deae minorum gentium, acquiescebant in antris sacris,[46]) lucis, pratis, fontibus,[47]) quae loca jam per se ipsa quasi sanctitatem quandam habebant.[48]) In luco illo erat fons, unde incolae aquam hauriebant (v. 205 sq.), et ara, ad quam cuilibet viatori[49]) sacrificandi caussa accedere licebat (v. 210 sq.). Ithacae vestigium templi prorsus nullum invenitur, ergo ne sacerdotis quidem; *θυοσκόοι* tantum mentio fit, qui ipse cum templo non cohaeret.

b) **Od. XX, 277 sq.**: *τοὶ δ' ἀγέροντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ ἄλσος ὕπο σκιερὸν ἑκατηβόλου Ἀπόλλωνος.* Apollinis lucus Ithacae. Iisdem de caussis, quas modo attulimus, etiam hic templum fuisse negandum est. Neutiquam igitur possum assentiri Nitzschio ad VIII, p. 219: «doch steht nichts entgegen, ja es ist wahrscheinlich, dass wir... XX, 278... in dem *ἄλσος* ein Tempelhaus zu denken haben;»[50]) contra Lobeckius p. 258 recte: «Lucum Apollinis apud Ithacenses celebrat Od. XX, 277.»

---

45) Vid. supra not. 26.

46) Od. XIII, 103 sq.: *ἀγχόθι δ' αὐτῆς ἄντρον ἐπήρατον, ἠεροειδές, ἱρὸν Νυμφάων, αἳ νηϊάδες καλέονται.*

47) Il. XX, 8 sq.: *οὔτ' ἄρα Νυμφάων, αἵτ' ἄλσεα καλὰ νέμονται, καὶ πηγὰς ποταμῶν καὶ πίσεα ποιήεντα.*

48) Hermann. §. 14, 8 sq.: «dieselbe Empfindung, die der Lateiner durch sein grossartiges numen habet ausdrückt, verlieh auch in Griechenland zahlreichen Oertlichkeiten selbst ohne nähere Beziehung auf Mythus und Staatsreligion die Weihe einer Cultusstätte, deren menschliche Zuthat fortwährend Nebensache blieb.»

49) Hermann. §. 8, 10: «selbst Wanderer brauchten nur zu wissen, dass sie an einem heiligen Orte vorbeikamen, um diesem ihre Verehrung zu bezeigen.»

50) Cf. ad III, 439, p. 221. Naegelsb. p. 177 de hoc loco sic judicat: «In Ithaka wird, den *θυοσκόος* ausgenommen, durchaus kein Priester erwähnt, wenn gleich vom Daseyn des Apollinischen *ἄλσος*

c) Od. VI, 291: δήεις ἀγλαὸν ἄλσος Ἀθήνης, ἄγχι κελεύθου. Minervae lucus Scheriae. Kreuserus l. l. p. 26 (cf. Hermann. §. 15, 3) bene quidem affirmat: «Es wird uns nämlich berichtet, dass die ältesten Tempel samt dem Temenos und Besitzthume der Götter ganz abgesondert liegen, und zwar auf Anhöhen und ausserhalb den Städten,» ad quam sententiam probandam p. 145, not. 116 hunc locum affert, unde eum hic fuisse templum censere patet; sed tamen mihi ea ratio ideo non probatur, quod lucus erat ad viam publicam nec procul ab Alcinoi agro et vineto,[51]) quorum locorum vicinitatem a templi sanctitate alienissimam existimo.[52])

Horum igitur trium locorum nullus sibi vindicare potest templum.

5) Loci, ubi τέμενος et ἄλσος[53]) aliam atque usitatam vim habent.

a) Il. II, 695 sq.: Οἳ δ' εἶχον Φυλάκην καὶ Πύρασον[54]) ἀνθεμόεντα, Δήμητρος τέμενος. Cereris templum Pyrasi. Jam antiquitus erant variae ac discrepantes sententiae de ratione, quae inter verba «Πύρασον ἀνθεμόεντα» et «Δήμητρος τέμενος» intercederet: utrum Δήμητρος τέμενος per appositionem ad Πύρασον dictum esset, an per se locum designaret. Heynius[55]) Δήμητρος τέμενος non per appositionem esse dictum, sed his vocibus urbem Δημήτριον circumlocutione quadam significari censet. Cui sententiae contraria est ipsa ratio grammatica, per quam, si esset illa vera, conjunctionem copulativam deesse non liceret;[56]) tum etiam, duabus urbibus dilucide nominatis, tertia urbs circuitu quodam verborum expressa aliquantum haberet offensionis, quae ratio dicendi alio loco generis ejusdem probari non potest. Equidem sine ulla dubitatione affirmaverim, Δήμητρος τέμενος dictum esse per appositionem, ut recte Duncan. lex. Homer. s. v. τέμενος;[57]) quibus verbis Pyrasus urbs cum agris finitimis, qui propter vicinitatem maris

---

Od. υ, 278 auf Priester geschlossen werden kann;» quam posteriorem sententiae partem prorsus improbandam censeo (cf. infra §. 4).

51) Od. l. l. 292 sq.: ἐν δὲ κρήνη νάει, ἀμφὶ δὲ λειμών· ἔνθα δὲ πατρὸς ἐμοῦ τέμενος, τεθαλυῖά τ' ἀλωή.

52) De luco Apollinis Ismarii cf. supra 2 d.

53) De utriusque vocis significatione cf. supra not. 39.

54) Urbs Thessaliae ad mare sita, itemque Phylace; cf. Strab. IX, 664 C; 665 A B.

55) Observatt. Tom. IV, p. 373: «τὸ Δήμητρος τέμενος non, ut nonnulli putarunt, epitheton est Pyrasi, sed τὸ Δημήτριον urbs fuit;» infra pergit: «τὸ Δήμητρος τέμενος, seu τὸ Δημήτριον, quod et ap. Steph. Byz. h. v. habetur, in agro Pyrasi fuisse recte dicitur.» cf. Strab. IX, p. 665 A: τὸ δὲ Δημήτριον Δήμητρος εἴρηκε τέμενος, καὶ ἐκάλεσε Πύρασον: addit autem ipse Pyrasum esse urbem cum portu, et duobus ab ea stadiis esse Δήμητρος ἄλσος καὶ ἱερόν, unde Strabonem mirum in modum sibi ipsi contrarium esse apparet.

56) Affert quidem Heynius l. l. hujus rei testem v. 647 (Il. l. l.), ubi simili ratione Λύκτος sine conjunctione posita est; sed tamen is locus huc non pertinet, quia ibi Λύκτος nomina aliarum urbium praecedit, eamque ob caussam fere nihil est, quod nos offendat conjunctionis defectus.

57) «Δήμητρος τέμενος, fundus Cereri dicatus, B, 696, ubi est, per appositionem, descriptio urbis Πυράσου, quae erat Δημήτρειον, peculium et sacrarium Cereris.»

insignes erant fertilitate (id quod epitheton *ἀνθεμόεις*, floridus, herbis obsitus, significat), Cereris describitur res peculiaris, ita ut *Πύρασος* cum tota regione ei sacra atque addicta sit habenda.[58]) Etiam alibi urbes atque regiones, quae deorum sunt deliciae, nominantur *τεμένη* (et *ἄλση*): ut apud Pind. Pyth. II, 3 Syracusae *τέμενος Ἄρεος*; IV, 99 regio Cyrenaica *Νείλοιο πῖον τέμενος.*[59]) Quibus si id quoque additur, quod Ceres huic regioni erat dea praecipua, quippe cujns vis in fertilitatem ejus terrae esset maxima, vix quisquam erit, qui dubitet, quin ibi templum fuisse existimandum sit; quod Voelckerus quoque (p. 38) judicat.

b) Il. II, 506: *Ὀγχηστόν*[60]) *θ' ἱερόν,*[61]) *Ποσιδήϊον ἀγλαὸν ἄλσος.* Neptuni templum Onchesti. Nec minus hoc loco veteres ambigunt, utrum Onchestus et lucus Neptuni diversa sint necne: inter quos priorem sententiam amplectuntur Schol. Apollon. I, 1279; III, 1241, et Schol. Pind. Isthm. I, 45, qui ad urbem fuisse lucum in eoque templum existimant. Inter viros doctos recentioris temporis idem censent Nitzschius[62]) et Lobeckius.[63]) Ceterum ex toto verborum nexu (ut supra a, Il. II, 695 sq.) *Ποσιδήϊον ἀγλαὸν ἄλσος* haud dubie per appositionem dictum est, ita ut *ἄλσος*, nihilo aliter ac *τέμενος* l. l., universim agrum consecratum significet, atque tota regio Onchesto vicina cum urbe ipsa lucus Neptuno dedicatus nominetur. «*Ἱερόν*» antecedens, quae vox sanctitatem loci generatim indicat, apposito «*ἄλσος*» accuratius definitur.[64]) Recte igitur Duncan. s. v. *τέμενος*: «Sic et *τὸ ἄλσος* habet generalem et specialem sacram no-

---

58) Recte igitur Nitzsch. ad III, p. 221: «Wollten wir nun uns bloss an ausdrückliche Zeugnisse halten, so würden wir.... viele Tempel oder andere Heiligthümer ganzer Städte und Gebiete finden (.... Il. II, 696);» Naegelsb. p. 175: «Uebrigens heisst Il. *β*, 506 die Stadt Onchestos ein *ἄλσος* Poseidon's, wie Pyrasos Il. *β*, 696 ein *τέμενος* der Demeter;» itemque Voelcker. p. 37 sq. (cf. infra not. 65). Lobeckius de hoc loco dicit p. 258: «Quo sensu Pyrasus Cereris *τέμενος* dicatur, veteres ambigunt.» De hac latiore vocis «*τέμενος*» notione cf. supra not. 39.

59) Eodem fere modo putabantur ipsi regionis cujusdam incolae esse ejus dei, qui ibi imprimis colebatur, indeque speciem quandam sanctitatis induebant: sic Delii vocantur *ἄνδρες ἱεροί* (Herod. VI. 97: cf. Thuc. III, 104; V, 1), Delphi *λαὸς οἰκήτωρ θεοῦ* (Eur. Androm. 1058); Attica vocatur *χθὼν Παλλάδος* (Aristoph. Nubb. 299). Unde fit, ut dii terram aliquam vel regionem «*ἔχειν*» dici possint; cf. Valcken. ad Herod. VII, 53; Wessel. ad Diodor. XX, 7; Spanheim. ad Callim. lav. Pallad. 53.

60) Erat urbs Boeotiae in terra Haliartiorum; cf. Strab. IX, 632 C; Paus. IX, 26, p. 761. Inde Neptunus apud Pindarum dicitur Onchestius.

61) Interpungendum esse post *ἱερόν*, non post *Ποσιδήϊον*, quod ab aliis factum (Schol. Lycophron. 45), docet v. 230 hymn. in Apoll.: *Ὄγχηστον δ' ἷξες, Ποσιδήϊον ἀγλαὸν ἄλσος.*

62) Ad VIII, p. 219: «doch steht nichts entgegen, ja es ist wahrscheinlich, dass wir.... Il. II, 506 in dem *ἄλσος* ein Tempelhaus zu denken haben.»

63) P. 258: «Lucum Neptuni Onchesto vicinum celebrat.»

64) Cf. Eustath. ad Od. VII, 81. Ex Sophocl. Electr. v. 5 Argos est *ἄλσος Ἰνάχου κόρης*: simili ratione apud Pind. Ol. 13, 156 insula Aegina vocatur *Αἰακιδᾶν εὐερκὲς ἄλσος*. Sic etiam *κῆπος* usurpatur ad totam regionem designandam; cf. Duncan. l. l. s. v. *κῆπος*.

tionem;» in qua re Voelckerus[65]) et Naegelsbachius[66]) idem sentiunt. Quod adhuc Pausaniae aetate ipsum *ἄλσος* supererat templo everso (Paus. IX, 26), nihil ad sententiam nostram facit mutandam, quum totam regionem Onchesto finitimam arboribus esse obsitam lucumque effecisse nullo modo negemus.[67]) Hic quoque templum fuisse, uterque illorum l. l. recte affirmat. Denique, quo melius intelligatur, cur tota regio *ἄλσος* Neptuni liceat vocari, etiam addamus, quod jam antiquissimis temporibus Onchesti in Neptuni honorem agi solebant ludi circenses,[68]) qui cultum ejus ibi maxime viguisse ostendunt.

6) Loci, ubi *βωμοὶ* nominantur.

a) Il. IV, 48 sq.: *οὐ γάρ μοί ποτε βωμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης, λοιβῆς τε κνίσσης τε* (Il. XXIV, 69 sq.): cf. VI, 256 sq.: *σὲ δ᾽ ἐνθάδε θυμὸς ἀνῆκεν ἐλθόντ᾽, ἐξ ἄκρης πόλιος Διῒ χεῖρας ἀνασχεῖν.* Jovis ara in Trojae arce cum templo, quae Voelckeri[69]) quoque sententia est (p. 39). Nam *πολιοῦχοι οἱ τὴν πόλιν σώζοντες καὶ οἱ ἄρχοντες αὐτῆς,*[70]) quorum videlicet in numero ducendus est Jupiter, praecipue in arce[71]) colebantur, qui certe cultu cum templo conjuncto non carebant. Praeterea Trojanis maxime favebat Jupiter eosque tuebatur, neque idem in Ida templum non habuit.

b) Od. XIII, 185 sqq.: *ὣς οἱ μέν ῥ᾽ εὔχοντο Ποσειδάωνι ἄνακτι δήμου Φαιήκων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες, ἑσταότες περὶ βωμόν*: cf. VI, 266: *ἔνθα δέ τέ σφ᾽ ἀγορή, καλὸν Ποσιδήϊον ἀμφίς.* Neptuni ara Scheriae cum templo haud procul a portu sito. Voelckerus[72]) templum negat, et ipse

---

65) P. 37: «Nicht einen Hain bei Onchestos meint der Dichter in ersterer Stelle (Il. II, 506), sondern Onchestus selbst nennt er *ἄλσος*..... *Ἄλσος* ist hier gleichbedeutend dem *τέμενος* und bezeichnet überhaupt einen geheiligten Platz oder Gegend.» Ceterum sibi non consentit p. 38: «Bei einem Temenos fehlte wohl in den wenigsten Fällen ein Tempel, so gewiss nicht zu Pyrasus und Onchestus;» quibus verbis pro latiore significatione substituit angustiorem.

66) P. 175 (cf. supra not. 58).

67) Schol. Pind. Ol. V, 31, p. 96 ed. Boeckh. contrarium dicit: *οὐ γὰρ Ὄγχηστος δένδρεσι κομᾷ, ἀλλ᾽ ἱερός ἐστιν.*

68) «In quibus (ludis) erat hoc praeter morem aliorum ludorum sollenne, ut cursu inito desilirent aurigae, et equi soli certamen cursus absolverent, currus autem deo consecrarentur in luco.» Heyn. Observatt. Tom. IV, p. 299. Hymn. in Apoll. 251 sqq.; cf. Strab. IX, p. 632 et O. Mueller. Orchomen. p. 84, 238.

69) Sed in eo labitur, quod Il. VIII, 48 huc refert, qui locus ad Jovem Idaeum spectat; cf. supra 2 c.

70) Hesych. II, p. 973.

71) Vitruv. I, 7: «aedibus vero sacris, quorum deorum maxime in tutela civitas videtur esse, in excelsissimo loco, unde moenium maxima pars conspiciatur, areae distribuantur.» cf. Terpstra p. 11, §. 1; p. 15, §. 5; Kreuser. l. l. p. 26. Sic templum Minervae et Apollinis in Trojae arce (supra I, 1 et 2), Jovis in summa Ida (supra II, 2, c).

72) P. 38: «In Scheria ist die Agora an dem Hafen, und es wird uns auf ihr ein Altar des Poseidon ge-

Naegelsbachius p. 175; Nitzschius vero mecum sentit ad VI, 10: «Jedoch so wie gewiss kein Haus gebauet wurde, ohne dass der *ἑρκεῖος* (Od. XXII, 335) seinen Altar bekam: so wurde natürlich auch dem Stamm- oder Stadtgotte in einer neuen Stadt Wohnung gemacht. Hier bei den Phäaken also finden wir hauptsächlich einen Tempel des Poseidon (266)»: cf. eundem ad VI, 266; item Terpstra p. 13, p. 5 (cf. l. l. p. 14, nr. 10 c. not.): «In urbibus praecipue et celebriore quidem earum parte, in foro potissimum, exstructa erant (templa), ut apud Phaeaces Poseidonis templum: *ἔνθα δέ τε κ. τ. λ.*» *Ποσιδήϊον* sine dubio hic eandem habet vim, quam *νηὸς Ποσειδάωνος ἀγοραίου*,[73]) in foro,[74]) quod prope portum erat (Od. VI, 263 sqq.), situs. Nam praeterquam quod Neptunus Phaeacum erat *θεὸς πατρῷος*, atque templa in frequentissima potissimum urbis parte aedificari solebant, etiam ejus praecipue rei ratio est habenda, quod Neptuni templo locus accommodatior ipso portu potest cogitari nullus, maxime quum Phaeaces, quos fuisse scimus navigationi deditissimos ejusque valde peritos,[75]) eum deum, cujus in quadam clientela esset summa harum rerum, colerent pro deo tutelari.

c) Od. VI, 162 sq.: *Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα.* Apollinis ara Deli cum templo. Lobeckius p. 257, Voelckerus p. 58, Naegelsbachius p. 175, Terpstra p. 13, §. 4 hic templum fuisse negant; Eustathius ad Od. VII, 81 *τέμενος* Apollinis intelligit; Nitzschius ad III, 439, p. 221 haesitat: «auf Delos und in Ithaka Haine mit Altären oder Tempeln desselben Gottes (Il. VI, 162 f., XX, 278).» Sed mea quidem sententia non est, quare templum negetur. Nam primum Delos fuit Apollinis locus natalis (ubi palma illa, quae v. 163 commemoratur, vel seriore tempore a Deliis in ejus rei memoriam monstrabatur[76])), quem nimirum locum is habebat in deliciis; deinde ibi exsistebat nobilissimum nautarum oraculum;[77]) denique seriore adhuc tempore cultus Apollinis maxime eo loco vigebat.[78])

---

nannt Od. VI, 266 (wo *Ποσιδήϊον* so viel wie *τέμενος* oder *ἄλσος* ist, nicht aber einen Tempel bedeuten kann) mit XIII, 187.»

73) In numerum *ἀγοραίων θεῶν*, inter quos Mercurius principem obtinet locum, referendi sunt: Jupiter (Eustath. ad Il. I, 54: *ὅτι δὲ ἡ βουλευτικὴ ἀγορὰ τίμιόν τι καὶ θεῖον πρᾶγμα, δηλοῖ καὶ τὸ Διὸς ἀγοραίου βωμὸν ἱδρῦσθαι ἀλλαχοῦ καὶ κατὰ Ἡρόδοτον περὶ Σικελίαν*: cf. Herod. V. 46). Minerva (Paus. III, 11, 8), Diana (Soph. Oed. Tyr. 161; Paus. V, 15, 5), Neptunus, ut ille locus docet, et qui sunt alii ejusmodi.

74) Alibi etiam *βωμοὶ* in foro reperiuntur, ut infra videbimus; cf. Paus. VIII. 30.

75) *Φαίηκες δολιχήρετμοι, ναυσίκλυτοι ἄνδρες*, quo nomine saepius a poeta appellantur: Od. VIII. 191. 369 et alibi; cf. Od. l. l. 252 sq.

76) Cic. de legg. I. 1, 2: «Quod Homericus Ulyxes Deli se proceram et teneram palmam vidisse dixit, hodie monstrant eandem.» Plin. XVI, 99, 44. Haec palma, ut Schol. ad illum locum, est ea, cui Latona parturiens adnitebatur (H. Apoll. 17 sq., 115 sqq.; Theogn. 6).

77) Voss, Mythol. Br. T. III, p. 106: «In Agamemnons Zeit hatte Delos für Seefahrt das vornehmste Orakel des Unheilwenders, wie Pytho für Landgeschäft;» cf. Spanheim. ad H. Del. 90.

78) Cf. Voss. l. l. p. 111 — 114. Imprimis Athenienses Apollinis cultum hic augere studebant. cf. Thuc. III, 104; Paus. VIII, 33, 1.

d) Od. III, 273 sq.: *πολλὰ δὲ μηρί' ἔκηε θεῶν ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς, πολλὰ δ' ἀγάλματ' ἀνῆψεν, ὑφάσματά τε χρυσόν τε.* Arae Mycenis exstructae cum templis. Nitzschius ad l. l. et Voelckerus p. 39 in eadem sunt sententia. Voces enim, quas v. 274 legimus, hoc aperte docent, quum donaria, vestes aliaque ejusmodi nisi in templo poni atque affigi non solerent (vid. infra §. 2). Inter haec templa unum fuisse Junonis, ut Voelckerus l. l. putat, veri simillimum mihi videtur; nam ex Il. IV, 51 sq.[79]) Mycenae erant Junoni carissima urbs, atque etiam seriore tempore hujus deae cultus in Peloponneso fuit summo in honore valdeque pervagatus.[80])

Apud ceteros omnes *βωμούς*, qui apud Homerum reperiuntur, caussae desunt, propter qnas eos cum templis conjunctos fuisse nobis liceat statuere; immo, qui *βωμοὶ* nunc enumerantur, sunt partim arae Jovis *ἑρκείου*, partim qui vocantur subdiales. Od. XXII, 334 sq.[81]) commemoratur Jovis *ἑρκείου*[82]) ara Ithacae, in qua Laertes et Ulysses multa boum femora comburebant; ibi vero templa omnino non fuisse, est supra (4, a) demonstratum. Il. XI, 772 sq.[83]) loquitur poeta de ara ejusdem dei Phthiae, in qua sacrificabat Peleus. Il. II, 305 sq.[84]) celebrantur arae subdiales Aulide exstructae, in quibus Achivos, in Trojam navigaturos, diis fecisse perfectas hecatombas narrat Ulysses. Quibus diis eae sacratae fuerint, pro certo affirmare dubitamus. Sequuntur loci duo, ubi nominantur arae subdiales in Graecorum castris constitutae: Il. XI, 806 sqq.[85]) arae deorum in foro,[86]) quod in mediis castris erat prope Ulyssis naves et tabernaculum (Il. VIII, 222 sq.; XI, 5 sq.), ubi multitudo conveniebat atque jus dicebatur; quas inter aras unam fuisse Jovis *πανομφαίου*, apparet ex Il. VIII, 249 sq.,[87])

---

79) Juno sic loquitur: *ἤτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες, Ἄργος τε Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη.*

80) Ut *Ἡραια* vel *Ἑκατόμβαια* in Peloponneso Dorica; Schol. Pind. Ol. VII, 152: *τελεῖται γὰρ κατὰ τὸ Ἄργος τὰ Ἡραια, ἃ καὶ Ἑκατόμβαια καλεῖται, παρὰ τὸ ἑκατὸν βοῦς θύεσθαι τῇ θεῷ· τὸ δὲ ἔπαθλον ἀσπὶς χαλκῆ, ὁ δὲ στέφανος ἐκ μυρσίνης:* cf. Hermann. §. 52, not. 1.

81) *Δίχα δὲ φρεσὶ μερμήριζεν, ἢ ἐκδὺς μεγάροιο, Διὸς μεγάλου ποτὶ βωμὸν ἑρκείου ἵζοιτο τετυγμένον, ἔνθ' ἄρα πολλὰ Λαέρτης Ὀδυσεύς τε βοῶν ἐπὶ μηρί' ἔκαιον.*

82) Eustath. ad l. l.: *βωμὸς δὲ ἑρκείου Διὸς ἔξω που περὶ τὴν αὐλὴν αἴθριος εἶναι δοκεῖ, ὁποῖοι πολλοὶ φαίνονται, ἐν ᾧ ἔθυον Διὶ ἐφόρῳ τοῦ ἕρκους κ. τ. λ.* cf. Plat. Republ. I, 328 C; Athen. V, 15. Jupiter primum gradum tenet inter deos, qui cognomine *ἑρκειοι, ἐφέστιοι* (Eustath. l. l.: *ὥσπερ αὖ πάλιν ἐν τῇ κατ' οἶκον ἑστίᾳ Διὶ ἐγένοντο θυσίαι, ὃν οἱ μὲν ἄλλοι ἐφέστιον, Ἡρόδοτος δὲ* [I, 44] *λέγει ἐπίστιον, τὸν αὐτὸν ὄντα τῷ ἑστιούχῳ*), *μύχιοι, κτήσιοι* (Lobeck. p. 1239) appellantur, quibus, quum rei domesticae essent tutores, praecipua pars domus concedebatur, ubi domicilium ac sedem suam collocarent. Nisi Jovi *ἑρκείῳ* ara exstructa nulla domus aedificabatur.

83) *Γέρων δ' ἱππηλάτα Πηλεὺς πίονα μηρί' ἔκαιε βοὸς Διῒ τερπικεραύνῳ αὐλῆς ἐν χόρτῳ.*

84) *Ἡμεῖς δ' ἀμφὶ περὶ κρήνην ἱεροὺς κατὰ βωμοὺς ἔρδομεν ἀθανάτοισι τεληέσσας ἑκατόμβας.*

85) *Ἀλλ' ὅτε δὴ κατὰ νῆας Ὀδυσσῆος θείοιο ἷξε θέων Πάτροκλος, ἵνα σφ' ἀγορή τε θέμις τε ἤην, τῇ δὴ καί σφι θεῶν ἐτετεύχατο βωμοί.*

86) Ipsos celebriores locos esse delectos templis exstruendis, vidimus supra b.

87) *Πὰρ δὲ Διὸς βωμῷ περικαλλέϊ κάββαλε νεβρόν, ἔνθα πανομφαίῳ Ζηνὶ ῥέζεσκον Ἀχαιοί.*

quo loco narrat poeta, aquilam a Jove missam hinnulum, quem unguibus teneret, dejecisse juxta pulcherrimam aram, in qua Achivi Jovi *πανομφαίῳ* sacra facerent. Denique Il. VIII, 238 sqq.[88]) Agamemnon negat, se unquam ullam navi praetervectum esse Jovis perpulchram aram, sed sacrificasse in omnibus. Deficiente autem omni indicio accuratiore, hunc locum, cujus qualis sit ratio judicare est perquam difficile, ut in medio relinquamus, cogimur.[89])

7) Loci, ubi nihil indicatum est nisi deus et ea urbs, in qua is colebatur.

a) **Il. VIII, 201** sqq.: *Ὢ πόποι, Ἐννοσίγαι' εὐρυσθενές.... οἱ δέ τοι εἰς Ἑλίκην τε καὶ Αἰγὰς*[90]) *δῶρ' ἀνάγουσι πολλά τε καὶ χαρίεντα*: cf. **Il. XX, 403** sq.: *ὡς ὅτε ταῦρος ἤρυγεν, ἑλκόμενος Ἑλικώνιον*[91]) *ἀμφὶ ἄνακτα.* Neptuni templum Helices et Aegis, duabus Achaiae urbibus. Lobeckius p. 257 dubitanter dicit: «nisi quid de Neptuni aede apud Helicen suspicari libet;» Nitzschius ad V, 380 his verbis utitur iisque non satis distinctis: «Das dortige Aegä (in Achaia) nebst dem benachbarten Helike werden von Homer als Cultusörter dieses Gottes vor allen hervorgehoben (Il. VIII, 203. XX, 404);» Voelckerus vero p. 38 et Naegelsbachius[92]) p. 174 hic templa fuisse aperte affirmant, et quidem recte. Primum enim certo indicatur templum voce «*δῶρα*» (vid. supra 6 d: *ἀγάλματα, ὑφάσματα, χρυσόν*), quae nisi in templo poni non poterant; adde verba «*Ἑλικώνιον*[93]) *ἀμφὶ ἄνακτα,*» quibus denotatur is locus, ubi Neptunus saepe libentissimeque fuerit versatus.[94]) Tum autem traditum est (id quod haud parvi ducimus), Iones, quum, ab Achivis in septentrionalem Peloponnesi oram depulsi, inde in Asiam minorem demigrassent, ibi ad promontorium Mycalen[95]) summa cerimonia coluisse Neptunum Heliconium: Strab. XIV, p. 947: *πρῶτον δ' ἐστὶν ἐν τῇ παραλίᾳ τὸ Πανιώνιον, τρισὶ σταδίοις ὑπερκείμενον*

---

88) *Οὐ μὲν δή ποτέ φημι τεὸν περικαλλέα βωμὸν νηῒ πολυκλήϊδι παρελθέμεν, ἐνθάδε ἔρρων· ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι βοῶν δημὸν καὶ μηρί' ἔκηα.*

89) Idem censet Voelckerus p. 39.

90) Helice longe plurimum eminuit inter duodecim Ionum urbes ad septentrionalem Peloponnesi oram conditas. Quin Aegae hoc loco urbs Achaica sit, nec altera nominis ejusdem (cf. supra not. 16), jam propter Helicen appositam dubitari non potest. Eandem urbem hic intelligit Strab. VIII, p. 386; Pausan. VII, 25, p. 590 extr.

91) Grammatici discrepant, utrum hujus vocis origo ducenda sit ex monte Helicone (*Ἑλικών*) in Boeotia (H. Nept. 3), ut ratio grammatica postulat, an ex urbe Helice (*Ἑλίκη*). Il. II, 575, VIII, 203 respicientes nihil est, quod illam vocem ex Helice ductam putare dubitemus, ita ut *Ἑλικώνιος* forma Aeolica habenda sit, ut Schol. B censet. Idem plerique interpretes judicant.

92) Is tamen in eo labitur, quod Helices templum habet in numero eorum, quae ab Homero nominatim commemorentur.

93) Simili ratione *Ζεὺς* vocatur *Ἰδαῖος* (Il. XVI, 605); Apollo dicitur *ἀμφιβαίνειν Χρύσην Κίλλαν τε ζαθέην* (Il. I, 37 sq), *Τενέδοιο ἀνάσσειν* (Il. l. l.); cf. supra p. 17.

94) «De Neptuni religione in his locis nihil in serioribus memorari, haud mirum: cum Helice terrae motu concussa, Aegae autem ab incolis desertae essent.» Heyn. Observatt. Tom. V, p. 451.

95) Herod. I, 148; cf. Paus. VII, 24, 4.

τῆς θαλάττης, ὅπου τὰ Πανιώνια κοινὴ πανήγυρις τῶν Ἰώνων συντελεῖται τῷ Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι καὶ θυσία, ἱερῶνται δὲ Πριηνεῖς:[96]) quae ipsa Helice erat ultimus locus, quo Iones ab Achivis expulsi confugerunt.[97]) Denique tota orae Achaicae natura[98]) quasi sua sponte effecit, ut maxime ibi Neptuni cultus floreret (cf. supra 1 b, p. 14 sq.).

b) Od. III, 177 sqq: ἐς δὲ Γεραιστὸν[99]) ἐννύχιαι κατάγοντο· Ποσειδάωνι δὲ ταύρων πόλλ' ἐπὶ μῆρ' ἔθεμεν. Neptuni templum in promontorio Geraesto. Quum ea, quae de cultu ejus sunt a nobis supra (1, b) et modo disputata, etiam ad hunc locum pertinere videantur, unum hoc addatur, seriore adhuc tempore Neptuno Γεραίστια[100]) fuisse celebrata, atque Scylacem, virum incertae[101]) quidem aetatis, nosse[102]) ejus templum in illo promontorio.[103])

c) Il. I, 37 sqq. (451 sq.): Ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας, Κίλλαν[104]) τε ζαθέην, Τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις, Σμινθεῦ! Hic locus spectat ad Apollinem, cui procul dubio Cillae et Tenedi templa exstructa erant; quod non ex toto orationis ambitu solum, sed etiam ex vocibus «ἀμφιβέβηκας»[105]) et «ἀνάσσεις»[106]) apparet, quibus Apollinem hunc utrumque locum maxime in deliciis habuisse in fidemque suam recepisse indicatur. Huc accedit, quod cultus ejus toto Troadis agro[107]) tam illustris, tam pervagatus erat, ut etiam hic templa pro certo sumere haud dubitemus.

---

96) Cf. Strab. VIII, p. 590: καὶ δὴ πρὸς τὴν θυσίαν ταύτην βασιλέα καθιστᾶσιν ἄνδρα νέον Πριηνέα τῶν ἱερῶν ἐπιμελησόμενον.... τότε γὰρ νομίζουσι καλλιερεῖν περὶ τὴν θυσίαν ταύτην Ἴωνες, ὅταν θυόμενος ὁ ταῦρος μυκήσηται κ. τ, λ.

97) Herod. I, 145.

98) Nitzsch. ad V, 380 p. 59 annot.**: «Dass ein besonders wildes Küstenmeer und Erderschütterungen den Dienst des Poseidon an jenen Küsten geweckt und genährt, ist nicht unwahrscheinlich;» idem ad III, 278.

99) Est promontorium in meridionali Euboeae parte; Strab. X, p. 446.

100) Schol. Pind. Ol. XIII, 159: ἐν Εὐβοίᾳ Γεραίστια ὑπὸ πάντων Γεραιστίων (Boeckh. Εὐβοέων? fortasse melius Γεραιστίῳ, ut suadet C. Fr. Hermannus) ἄγεται Ποσειδῶνι διὰ τὸν συμβάντα χειμῶνα ἐν Γεραιστῷ: cf. Strab. X, p. 685; Poppo, prolegg. Thucyd. I, 2, p. 270.

101) Niebuhr, über das Alter des Küstenbeschreibers Scylax, kl. histor. u. philol. Schr. (Bonn, 1828) Bd. I; cf. Groddeck. elem. histor. Gr. liter. I, p. 234 sq.

102) Mannert, Geogr. VIII, p. 264 sq.

103) Item in promontorio Taenaro Neptuni cultus erat cum templo conjunctus (Corn. N. Pausan. c. 4; cf. supra not. 22), quem Lacedaemonii haud dubie acceperant ab Achivis, qui olim illam terram incolebant.

104) Urbs exigua sub Idae radicibus prope Chrysen; cf. Strab. XII, p. 612 A.

105) Schol. «ὑπερμαχεῖς» interpretatur; eadem voce poeta utitur de Apolline Ismario (vid. supra 2, d).

106) Eodem pertinet: Ζεὺς Ἴδηθεν μεδέων (Il. III, 276), ἄναξ Ἑλικώνιος (Il. XX, 404); cf. quae de hac re supra diximus.

107) Sic invenimus Apollinis templum Chryses et in Trojae arce (cf. supra I, 1. 3).

d) **Il. XVI, 233** sq.: *Ζεῦ ἄνα, Δωδωναῖε, Πελασγικέ,*[108]) *τηλόθι ναίων, Δωδώνης*[109]) *μεδέων δυσχειμέρου.* Jovis templum Dodonae. Hic templum fuisse (cf. Nitzsch. ad III, 439), jam inde efficitur, quod ibi erat antiquissimum Graeciae atque celeberrimum oraculum,[110]) a Pelasgis conditum, ubi priscis temporibus et ex sacrae quercus strepitu (Od. XIV, 327 sq: *τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα θεοῖο ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσαι*: cf. XIX, 296 sq.), et ex fontis murmure[111]) a Sellis (Il. XVI, 234 sq.: *ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι*), postea a mulieribus fatidicis[112]) responsa edebantur; quod oraculum permanebat vel usque ad seriora tempora. Ad hanc rationem accedit etiam altera, quod voces: «*ἄνα*,» «*Δωδωναῖε*» (ut supra *Ἰδαῖος*, *Ἑλικώνιος*), «*μεδέων*» hic intelligendum esse templum perspicue demonstrant; de qua re jam supra apud locos generis ejusdem satis dictum est.

Jam omnibus Homeri locis, quicunque ad id, quod quaerimus, pertinent, enumeratis iisque illustratis, breviter summam totius rei repetentes oculis nostris proponamus. Haud plus sex templa a poeta celebrantur distinctis verbis: Trojanorum tria: Apollinis in urbe Chryse cum sacerdote Chryse, ejusdem dei in Trojae arce, Minervae ibidem cum sacerdote Theano; Graecorum totidem: Minervae Athenis, Apollinis Delphis, Neptuni Aegis Euboicis. Templa, quae ex mea quidem sententia sine ulla dubitatione statuantur necesse est, sunt haec: Jovis in Idae cacumine cum sacerdote Onetore, in Trojae arce et Dodanae; Junonis Mycenis; Neptuni Onchesti, Scheriae, Helices, Aegis Achaicis, in promontorio Geraesto; Apollinis Ismari cum sacerdote Marone, Deli, Cillae et Tenedi; Vulcani Trojae cum sacerdote Darete; Veneris Paphi; Cereris Pyrasi; Scamandri prope Trojam cum sacerdote Dolopione; Sperchei in Thessalia. Ex quo intelligitur, Trojanorum templa cum templis Graecorum comparata per se multitudine esse minora; sed magnitudinis utriusque terrae ambitusque ratione habita, Trojanis haud ita exiguum fuisse templorum numerum facile apparebit, cujus rei quid sit caussae, infra §. 3 exponetur.

---

108) Il. II, 749 sq.: *μενεπτόλεμοί τε Περαιβοὶ, οἳ περὶ Δωδώνην δυσχείμερον οἰκί' ἔθεντο κ. τ. λ.* Perrhaebi fuere gens Pelasgica; cf. Mueller. Dor. I, p. 25.

109) Dodona sita erat in Thesprotia sub montis Tomari radicibus, quamquam Strab. IX, p. 441 alteram Dodonam prope Scotussam hic dictam esse putat.

110) Herod. II, 52 sqq.; Strab. VII, p. 504; cf. Heyn. Observatt. Tom. VII, p. 285—289: Excurs. II. de Jovis Dodonaei religione; Lasaulx, das pelasgische Orakel des Zeus zu Dodona. Würzburg 1840.

111) Serv. ad Aeneid. III, 466: «circa hoc templum quercus immanis fuisse dicitur, ex cujus radicibus fons manabat, qui suo murmure instinctu deorum diversis oracula reddebat; quae murmura anus Pelias nomine interpretata hominibus disserebat; sed quum hic ordo oraculorum per multa tempora stetisset, ab Arce latrone Illyrio excidi quercus praecepta est, unde factum est, ut postea fatidica murmura cessaverint.»

112) Suidas I, p. 625: *ἐν ᾗ ἵσταιο δρῦς, ἐν ᾗ μαντεῖον ἦν γυναικῶν προφητίδων· καὶ εἰσιόντων τῶν μαντευομένων ἐκινεῖτο δῆθεν ἡ δρῦς ἠχοῦσα, αἱ δὲ ἐφθέγγοντο, ὅτι τάδε λέγει ὁ Ζεύς.*

Sed antequam ad aliam rem transeamus, pauca nobis videntur adhuc monenda, qualis fuerit ratio inter templa et inter ceteros locos sacratos: τέμενος, ἄλσος et βωμόν, ut perspicuum fiat, quibus maxime principiis loci, quos tractavimus, ponderati nitantur.

Dicit Nitzschius ad VIII, 363: «Das τέμενος, das umgränzte und einem Gott geweihete Stück Land, kann bloss ein heiliger Hain mit einem Altar sein,» quod Hermannus quoque (§. 17, 13 c. not.) censet.[113]) Equidem vero arbitror, τέμενος et templum inter se arctissime fuisse colligata;[114]) nam τέμενος, agellus sacer (cf. supra not. 39), qui a regione finitima, ut a rebus profanis, certo limite separatus erat, qui habebatur dei peculium, atque in quo magna ex parte sita erat et ejus opulentia et sacerdotis, templum desiderabat eam ipsam ob caussam, quod non communi usui, sed deo soli et sacerdoti inserviebat.[115]) Cur enim τέμενος septum fuisset muro?[116]) Haec sententia mea mihi videtur maxime eo defendi, quod legimus apud Poll. Onom. I, 6: καὶ τὸ μὲν χωρίον, ἐν ᾧ θεραπεύομεν τοὺς θεούς, ἱερὸν καὶ νεώς, ἔνθα δὲ καθιδρύομεν, σηκὸς καὶ τέμενος. Voelckerus igitur, quamvis in ejus verbis insit exceptio quaedam, universe tamen recte affirmat p. 38: «Bei einem τέμενος fehlte wohl in den wenigsten Fällen ein Tempel,» itemque Terpstra p. 12, §. 2: Cum vero Deorum templa iisdem his locis sacris plerumque continerentur, factum est, ut τέμενος una et locum agri separatum notaret et templum ibidem obvium.» Τέμενος simul cum templo ortum est, nec hoc prius exsistere potuit. — Luci autem ratio fuit plane alia; quapropter cavendum est, ne aetate Homerica, ut nonnulli faciunt, τέμενος et ἄλσος temere confundamus.[117]) Lucus erat non circumseptus, nisi forte partem efficiebat agri

---

113) Si virorum doctorum sententias de singulis locis, ubi τέμενος commemoratur (cf. supra 3 et 5), breviter collegerimus, inde summa conficietur haec: Hermannus et Lobeckius cum Veneris et Sperchei agro sacro templum non conjunctum fuisse censent; Nitzschius ibi templum statuit, de Pyraso nihil certi proponit; Voelckerus de Venere cum Nitzschio consentit idemque judicat de Cereris agro sacro Pyrasi; Naegelsbachius rem silentio praeterit.

114) Paus. X, 38, 4: καὶ Ποσειδῶνός ἐστιν ὑπὲρ τὴν πόλιν τέμενος καλούμενον Ποσειδώνιον, ἐν δὲ αὐτῷ ναὸς Ποσειδῶνος: Diodor. II, 47: τέμενός τε καὶ ναόν, III, 65: ναοὺς καὶ τεμένη, et alibi; cf. Kreuser. l. l. p. 141.

115) Hermann. §. 20 init.: «In demselben Maasse endlich, wie sich die Verehrung der griechischen Götter an bestimmte Tempel anschloss, gränzte sich auch ihr Eigenthumsrecht schärfer gegen das Profane ab, und während der natürliche Cultus das ganze Land oder die Gegend, wo sie verehrt wurden, als ihr Eigenthum betrachtete, setzte der positive sich und sein Zubehör den Gegenständen des menschlichen Besitzes und Verkehres als das Heilige entgegen.» Kreuser. l. l. p. 22: «und so bedeutete Temenos später nur das heilige den Göttern geweihte Priesterland, auf welchem die Tempel, Kapellen, heiligen Haine u. s. w. sich befanden mitsamt den Wohnungen der Priester und ihres Zubehörs.»

116) Hoc etiam seriore tempore ita se habuisse, videmus ex Paus. VIII, 30, 2, qui nominat τέμενος, quod ante sic descripsit: περίβολος δ' ἐστὶν ἐν αὐτῇ λίθων καὶ ἱερὸν Λυκαίου Διός. Terpstra p. 11, §. 2: »Primum certae agrorum portiones Diis fuerunt dicatae, quae τεμένη, quasi τετμημένα, ab Homero dicuntur..... septo a reliqua agri parte separatae.«

117) Τέμενος et ἄλσος seriore tempore una eademque vi usurpantur, ut Herod. VI, 75—80; cf. Schol. Eurip.

sacri,[118]) sed cuique patebat, ut aperte docet Od. XVII, 208 sqq.: *ἀμφὶ δ᾽ ἄρ᾽ αἰγείρων ὑδατοτρεφέων ἦν ἄλσος... βωμὸς δ᾽ ἐφύπερθε τέτυκτο Νυμφάων, ὅθι πάντες ἐπιῤῥέζεσκον ὁδῖται* (de luco Nympharum prope urbem Ithacam), et Od. VI, 291 sqq. (de luco Minervae apud Phaeaces); quae res vetat nos omnibus in lucis putare exstitisse templa. Qua de caussa Duncanio s. v. *ἄλσος* explicanti: «Talia ubique diis sacra, *οὐ βατὰ τοῖς πολλοῖς ὄντα,*» assentiri nequeo. Licet sine ulla dubitatione dici, unumquodque templum habuisse lucum,[119]) nec vero contrarium; *ἄλσος* enim, locus arboribus obsitus (Od. IX, 200: *ἐν ἄλσεϊ δενδρήεντι*, XX, 278: *ἄλσος ὕπο σκιερόν*: cf. XVII, 208) amoenitateque[120]) insignis, jam per se deum ibi praesentem indicabat eaque maxime re homines, quibus omnibus facilis esset aditus, ad religionem pietatemque, quae erat in metu et cerimonia deorum, impellebat. Quid plura? ipsa loci natura vis luci continebatur,[121]) quod etiam naturali prioris temporis cultui fuit aptissimum. Od. IX, 200 (*ᾤκει γὰρ ἐν ἄλσεϊ δενδρήεντι*) documento non est, lucum et templum sejuncta esse non posse, quoniam non lucus, sed sacerdos, qui nominatur, caussa est, cur ibi templum fuisse censeamus (cf. supra 2, d). Ex quo efficitur illud, nullum omnino apud poetam exsistere locum, quo nobis persuaderi possit, cuique luco vindicandum esse templum, nisi forte *ἄλσος* significationem habet latiorem, ut Il. II, 506 (cf. supra 5, b).[122]) Luco autem non defuisse

---

Phoen. 24: *Πάντας γὰρ τοὺς ἀλσώδεις τόπους θεοῖς ἀφιέρουν καὶ τεμένη θεῶν ἐκάλουν Ἕλληνες*: Schol. Pind. Pyth. V, 117, p. 383 ed. Boeckh.: *ἄλση τε τὰ τῶν θεῶν τεμένη.* Quo factum est, ut *ἄλσος* a principe sua propriaque recederet significatione; Schol. Pind. Ol. III, 26: *ἴσθι, ὅτι πᾶν χωρίον τοῖς θεοῖς ἀφιερωμένον, κἂν ψιλὸν φυτῶν ᾖ, ἄλσος καλεῖται.*

118) Seriore tempore ex Poll. Onom. I, 1, 10 mos erat lucos *περιβόλῳ* circumdari.

119) Quod Hermannus §. 14, 5. 6. de templis serioris temporis affirmat: »weit entfernt jedoch gegen das gottesdienstliche Motiv solcher örtlicher Rücksichten gleichgültig zu werden, legten auch die Tempel der späteren Zeit auf augenfällige Plätze und die Anmuth umgebender Pflanzungen keinen geringen Werth,« haud minus Homericae aetati convenit.

120) Cf. Od. XVII, 205 sqq.; Paus. IX, 24, 4: *ἐστὶ δὲ αὐτόθι καὶ ὕδωρ ψυχρὸν ἐκ πέτρας ἀνερχόμενον, Νυμφῶν τε ἱερὸν ἐπὶ τῇ πηγῇ καὶ ἄλσος οὐ μέγα ἐστίν*: cf. VI, 22, 4; Plut. V. Sull. c. 27: *ἱερὸς τόπος ἐκ χλοερᾶς νάπης καὶ λειμώνων ἀναδιδοὺς πρὸς πηγὰς σποράδας ἐνδελεχῶς ῥέοντος.*

121) Hermann. §. 14, 8. 9: »Jede Naturerscheinung, die durch Lieblichkeit oder Erhabenheit einen mehr als gewöhnlichen Eindruck auf das menschliche Gemüth machte, ward unter dem Einflusse dieses religiösen Gefühles zum Sitze einer göttlichen Kraft gestempelt, die jedem, der in ihre Nähe kam, unwillkürliche Verehrung abgewann; dieselbe Empfindung, die der Lateiner durch sein grossartiges numen habet ausdrückt, verlieh auch in Griechenland zahlreichen Oertlichkeiten selbst ohne nähere Beziehung auf Mythus und Staatsreligion die Weihe einer Cultusstätte, deren menschliche Zuthat fortwährend Nebensache blieb.« Nitzsch. ad VI, 10: »Die Tempelhäuser sind gewiss als ein Ferneres und Mehreres nach früherer Weihung von blossen Altären, Hainen, oder andern Stätten in ihrer natürlichen Beschaffenheit (bes. Grotten), wo besondere Erfahrungen den Glauben an öftere Gegenwart eines Gottes erzeugt hatten.«

122) Nitzschius ad VIII, 363 lucos non tam certis terminis circumscribit.

aram, nemo erit, quin concedat, siquidem ibi homines, ut erga deos pietati satisfacerent, convenire (Od. XX, 277 sq.) adeoque antistites coetus cujusdam sacri certis anni temporibus sacrificare fas erat. — Denique de aris non multis verbis opus est, quippe quae cum omnibus locis sacris ita cohaererent, ut sine iis vix cogitari posset deorum cultus.[123]) Quemadmodum vero templum sine ara haud scio an nusquam reperiatur, ita ara prorsus non desiderabat templum, dummodo locus aliter sacratus esset; unde intelligitur, nobis non licitum esse putare, ubi arae nominentur, ibi fuisse etiam templa.

Quodsi ea, quae sunt a nobis de locis sacris modo disputata, in Homerum transtulerimus, perspicuum erit, lucos et aras, quae quidem nude simpliciterque memorentur, ad templa pertinuisse nobis non statuendum esse, nisi eae rationes accedunt, quibus in eam opinionem, ut ibi templa fuisse putemus, necessario adducamur. Atque id quidem fit, primum si sacerdotes aut *τεμένη* commemorantur; deinde si agitur de diis primariis, *θεοῖς πατρῴοις*,[124]) qui vel maxime in arce colebantur; tum si loca nominantur, quae libentissime dii frequentabant;[125]) postea si ejusmodi rationem inter deum et terram vel urbem intercessisse videmus, ut in hanc pro numine suo is vim exerceret magnam; denique si et totus orationis nexus et singulae ipsius loci voces templum desiderant; postremo si historiae vel monumentorum adhuc superstitum nitimur auctoritate. Cujus rei singula argumenta repetantur gravia eademque certissima ex cunctis Homeri locis, de quibus supra a nobis fusius dictum est.

§. 2.

Quid de templorum aetate Homerica numero universe judicandum sit?

Jam omni hujus rei materia, quae quidem apud Homerum exstet, tractata simulque expositis principiis, quibus nixi certos templis fines terminosque constituere sumus conati, nunc videamus, quid inde universim efficere et probare possimus de templorum aetate Homerica numero, quidque de discrepantibus virorum doctorum sententiis sit judicandum.

Sunt duo potissimum viri, qui in iis, quae de numero templorum statuunt, magnopere inter se dissident: Lobeckius[1]) et Voelckerus,[2]) quorum alter se in Graeciam nimis par-

---

123) Cf. Lucian. Jup. tragoed. c. 51: *εἰ μέν εἰσι βωμοί, εἰσὶ καὶ θεοί, ἀλλὰ μὴν εἰσι βωμοί, εἰσὶν ἄρα καὶ θεοί.*

124) Cf. Nitzsch. ad VI, 10 (supra p. 24 init.).

125) Nitzsch. ad III, p. 221: »und deren nehmen wir ausser den namhaften auch an denen Orten an, die als Lieblingsorte der Götter bezeichnet sind und die ihnen einen Beinamen gaben, wie da sind Kypris, Kythereia, die Argeierin Here, der Idäische oder Dodonäische Zeus u. a. m.;« cf. Hermann. §. 13, 7: »ja auch die olympischen schienen fortwährend mit besonderer Vorliebe in bestimmten Gegenden zu verweilen, wo sie namentlicher Verehrung genossen.«

1) P. 256 sqq., quocum magna ex parte consentit Naegelsbachius p. 174 sq.

2) P. 38 sq.

cum, alter se tam liberalem praebet, quam certe Graeci in se ipsi non fuerant. Sed Nitzschius[3]), modum adhibens ad mediocritatemque illud nimium et parum revocans, proxime ad veritatem accedit. Quod Lobeckius p. 257 contendit: «Cujus generis praeter illud, ubi Chryses curabat, dumtaxat duo nominantur, nisi quid de Neptuni aede apud Helicen suspicari libet Il. VIII, 203, unum Minervae Erechthei II, 546, alterum Apollinis Pythii IX, 405, Od. VIII, 80,» et quod deinde addit: «neque mihi fiducia est, ut ea sola fuisse contendam,» quam leviter negligenterque dictum sit, jam ex iis, quae supra demonstravimus, satis liquet. Quibus monitis ne valde miremur, eum tum sic pergere: «Sed tamen plerisque in locis sacrarum aedium vice aras subdiales lucosque consecratos fuisse, crebrior mentio indicat.» Ex Lobeckii igitur sententia tunc temporis non tam templa, quam arae et luci consecrati inserviebant sensui divino, qua ratione hoc studet efficere, templorum numerum fuisse perexiguum. Contrariam sententiam defendit Voelckerus, quam confirmare conatur ejusmodi argumentis, quorum pleraque omnia mihi gravia maximique momenti esse videantur. Ex his unum solum mihi non probatur, quo comprobato in immensum augerentur templa. Affirmat enim p. 39: «da wir aber in keiner Stadt blosse Altäre ohne Tempel entdecken, so folgt, dass in jeder Stadt eine Menge Tempel sein mussten;» quibus verbis vel secum ipse pugnat, paulo ante dicens, aras fuisse et in vestibulis et in foro,[4]) quae nimirum in ipsa urbe erant. Haud dubie in statuendo templorum numero Voelckerus excedit modum; quis est enim, qui, quum multitudo ararum *Διὸς ἑρκείου* esset fere infinita, templorum numerum eundem fuisse arbitretur? Quod si quis contendere auderet, cuncta Graecia et ipsa Troja inundaretur tot templis, quot ne seriore quidem tempore, quo magna erat eorum copia, vix reperiantur. Circumspiciamus igitur rationes firmas easque idoneas, quibus probabiliter templis constituatur modus, qui huic aetati bene conveniat.

Ne autem in errorem Voelckeri inducamur, maxime id meminerimus, hoc tempore cultum deorum nondum magnopere adjunctum fuisse simulacris. Haec enim, ex usu cultus divini atque religiosa quadam necessitate orta, principio effingebantur hac mente, partim ut notiones deorum, quas in omnium animis informavit natura, atque cognitiones sensibus oculisque subjectae eo vividiore conciperentur animo, partim quo commodius faciliusque cerimoniis sacris, quibus cultus continebatur, numina eorum celebrari possent. Simulacra tantummodo repraesentare deos putabantur ab iisque interdum frequentari, ut praesentes sacra donaque laeti ac propitii acciperent; deos vero non posse a simulacris sejungi, tunc quidem sibi nondum persuaserant Graeci;[5]) quae opinio naturali quasi sensui, quo adhuc maxime move-

---

3) Imprimis ad III, 439, p. 221 sq.

4) Voelcker. l. l.: »Ausser den Altären in den Vorhöfen und auf der Agora, sind alle übrigen nicht nur in Tempeln« etc.

5) Hoc planissime inde apparet, quod in Sophoclis fabulis dii ipsi *ξοανηφόροι* prodibant: *ὡς οἱ θεοὶ ἀπὸ τῆς Ἰλίου φέρουσιν ἐπὶ τῶν ὤμων τὰ ἑαυτῶν ξόανα, εἰδότες, ὅτι ἁλίσκεται*, Schol. Aesch. Sept.

bantur, prorsus repugnasset. Seriore demum tempore, quo mythologiam excultam a poetis traditamque mente comprehensam habebant atque simulacris propter praecipuum quendam cultus oculis sensibusque subjecti amorem assiduo utebantur, haec atque deos esse unum et idem eaque induere divinam naturam[6]) credere coeperunt. Inde autem, quod aetatem Homericam antecesserat ea aetas, qua vigebat religio naturalis, cujus in locum postea subiit id Graecorum religionis genus, quod vocatur anthropomorphismus, in quo ipso praecipue nititur simulacrorum usus, factum est, ut religiosa indoles ejus aetatis, quippe quae transitum quendam efficeret, nondum esset satis accurate distincteque expressa. Quid mirum, quod in tanta copia rituum sacrorum,[7]) quos tangit Homerus, nobis apud eum unum solum occurrit simulacrum? quod omnino non disertis verbis, sed tamen ita indicatur, ut nobis de eo scrupulus ne tenuissimus quidem possit residere: Il. VI, 90 sqq.: *πέπλον .... θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν*[8]) *ἠϋκόμοιο* (cf. l. l. v. 271 sqq, 302 sq.), ubi ab Heleno, augurum longe eximio, Hector jubetur urbem adire matrique suae dicere, ut, ubi matronas honoratas in Minervae templum congregaverit, peplum elegantissimum maximumque ad deae genua ponat; quae dicendi ratio certe non allegorice est intelligenda. Atque quum princeps templi natura in eo posita esset, ut simulacrum dei tectis suis parietibusque reciperet receptumque tueretur[9]) (id quod templa et simulacra

---

289; cf. Welcker. gr. Trag. p. 66. Simulacra catenis alligata (cf. Lobeck. p. 275; Creuzer. Symb. II, p. 615; Feuerbach. vatic. Apoll. p. 26), quae passim in Graecia reperiebantur, contrarium probare perperam censet Feuerbachius l. l. p. 25; nam hoc more haud dubie nihil aliud Graeci spectabant, nisi ut una cum illis simulacris ipsos deos quasi comprehenderent firmiterque tenerent; cf. Plat. legg. XI, p 931 A: *τῶν δ' εἰκόνας ἀγάλματα ἱδρυσάμενοι, οὓς ἡμῖν ἀγάλλουσι καίπερ ἀψύχους ὄντας ἐκείνους ἡγούμεθα τοὺς ἐμψύχους θεοὺς πολλὴν διὰ τοῦτ' εὔνοιαν καὶ χάριν ἔχειν.*

6) De hac re gravis sane ac luculentus est ille locus apud Minuc. Octav. XXIII, 10: »quando igitur hic nascitur? ecce funditur, fabricatur, sculpitur, nondum deus est; ecce plumbatur, construitur, erigitur, nec adhuc deus est; ecce ornatur, consecratur, oratur, tunc postremo deus est, quum homo illum coluit et dedicavit.« Profecto quidem multitudini persuasum erat, discrimen inter deos et simulacra esse omnino nullum, qnod satis docet Lucianus Piscat. c. 11; Jup. Confut. c. 8; Jup. Tragoed. c. 7; Sacrif. c. 11; cf. Senec. epist. 41: »nec exorandus aedituus, ut nos ad aures simulacri, quasi melius exaudiri possimus, admittat.«

7) O. Mueller. Prolegg. p. 554: »Es ist aber überhaupt sonderbar, wie sehr sich viele Gelehrte bemühen, aus dem Homer den Cultus herauszubringen. Als wenn Homer nicht den Götterdienst im vollständigsten Begriffe des Wortes kennte, Gentilsacra, Staatsopfer, Sühnopfer, Reinigungsopfer und Waschungen« etc.

8) Cf. Heyn. Observatt. ad. l. l. Tom. V, p. 198 sqq., ibique ejus interpretationem memorabilis loci Strabonis XIII, p. 897: *καὶ τὰ τοιαῦτα δὲ τοῦ αὐτοῦ τίθενται τεκμήρια, οἷον ὅτι τῆς Ἀθηνᾶς τὸ ξόανον νῦν μὲν ἑστηκὸς ὁρᾶται, Ὅμηρος δὲ καθήμενον ἐμφαίνει· πέπλον γὰρ κελεύει· Θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν... Βέλτιον γὰρ οὕτως, ἢ ὥς τινες δέχονται ἀντὶ τοῦ, παρὰ τοῖς γόνασι θεῖναι κ. τ. λ.*

9) Hoc vel etymologica ratione probari potest; nam vox »*ναός*« haud dubie ducenda est ex verbo »*ναίω*.«

arctissime copulata connexaque[10] esse demonstrat), et major templorum numerus penderet ex usu simulacrorum frequentiore, adduci nullo modo possumus, ut temporibus Homeri cultum cum templis conjunctum putemus tam late patuisse, quam Voelckero videtur. In illa ipsa re cernitur caussa, cur ex prisco tempore, quo luci quidem et arae exsistebant, tamen de templis[11]) nihil certi sit traditum; quae profecto haud ita necessaria fuerunt, quod etiam aliis locis, dummodo consecrati essent, sacra fieri licebat.

Sed quamquam apud Homerum unum solum invenitur simulacrum, cujus ne vox[12]) quidem, qua denotanda sit, dilucide commemoratur, nec certi quidquam aliud indicatur, unde materiam ejusque formam atque naturam si non clare perspicere, at ex parte certe intelligere conjecturaque assequi possimus;[13]) tamen alia sunt vestigia perspicua, e quibus aetate Homerica exstitisse simulacra utique plura, quam nobis ex unico illo liceat statuere, planissime appareat. Hi sunt loci, ubi *ἀγαλμάτων*,[14]) in quibus praecipue nominantur vestes[15]) in deorum usum

---

Templa sunt *θεῶν μακάρων ἱεροὶ δόμοι* (H. Merc. 251; cf. Il. VI, 89), *ἐριχυδέες οἶκοι* (Theocr. XVII, 108), »habitacula terrena« (Arnob. VI, 17), domicilia deo, vel potius simulacro eum repraesentanti dedicata; cf. Steph. Byz. s. v. *Θεράπναι: ναὸς τὴν οἰκίαν, ἔνθα θεοὶ θεραπεύονται.*

10) Immo utrumque uno eodemque nomine significatur: *ἱερὰ* nominantur et templa et simulacra (Lobeck p. 51); *ἱερῶν ἵδρυσις* (Plat. Republ. IV, p. 422), i. e. *ἀγαλμάτων*; imprimis autem *ἕδος* partim de cujusque materiae simulacris cultui consecratis, et stantibus et sedentibus (Schoell. Soph. Leben p. 192), partim de ipsis templis dicitur; cf. Phot. Bibl. p. 530, Ruhnk. ad Tim. lex. Plat. p. 95 et Welcker. Syll. Epigr. p. 3 — 5. Ab his simulacris, quae in templo ponebantur, bene distinguenda sunt ea *ἀγάλματα*, quae postea reperiuntur frequentissima sine ullo cultu, quibusque ornata erant praecipue fora, viae, luci aliique ejusmodi loci; cf. Hermann. §. 6, not. 3 et Hypaethraltemp. p. 12.

11) De antiquissimi aevi templis et simulacris cf. supra p. 5, not 32.

12) Nomen »*ἄγαλμα*« (de quo cf. Heinrich. ad Musaeum p. 41), quod apud Homerum haud raro reperitur, huc referri non potest, quia a poeta usurpatur alia notione et quidem generaliore (cf. infra not. 14 et 15), atque apud posteriores demum scriptores ei simulacri vis est subjecta (cf. Ruhnk. ad Tim. p. 3 — 8). Alia nomina, quibus simulacra appellabantur, sunt *βρέτας* (Hesych. I, p. 764: *βρέτας παρὰ τὸ βροτῷ ἐοικέναι, ἀπεικόνισμα*), quod, jam Aristophanis temporibus obsoletum (Equ. 31), nisi de simulacris antiquae structurae non dicebatur, et *ξόανον*, proprie simulacrum sculptile (*σὺν τέχνῃ οὐδεμιᾷ ὡς ἔτυχε πεποιημένα*, Paus. I, 36, 2; cf. Siebelis. I, p. XLII), de cujus vocis usu idem valet, quod modo dixi de altero nomine. Poll. I, 7: *αὐτὰ δὲ ἃ θεραπεύομεν ἀγάλματα, ξόανα, ἕδη, θεῶν εἰκάσματα... βρέτας δὲ ἢ δείκηλον ἔγωγε οὐ προσίεμαι.*

13) Terpstra p. 14, §. 6: »Eorum itaque simulacra sibi effinxerunt, quorum forma atque materies absque omni dubio rudis fuit, quippe quae vel lapidea fuisse videntur vel lignea, vix ulla arte polita ac dedolata.«

14) Hoc nomine comprehenduntur ornamenta et donaria in dei cujusdam honorem ac voluptatem (*ἄγαλμα πᾶν, ἐφ᾽ ᾧ τις ἀγάλλεται*) consecrata, *ἀναθήματα* (cf. Eustath. ad Od. XII, 347: *λέγει νῦν οὕτω τὰ ἀναθήματα*, et ad Od. III, 274). Quorum de infinita fere apud Graecos copia atque multitudine cf. Poll. I, 28, ubi varia eorum genera enumerantur, itemque C. I. nr. 137—147, 1570, 2852 — 60, 3071.

15) Od. III, 274 de Aegistho: *πολλὰ δ᾽ ἀγάλματ᾽ ἀνῆψεν, ὑφάσματά τε χρυσόν τε.* Sine dubio voce

contextae, et δώρων,[16]) quae in templis recondebantur aut suspendebantur,[17]) fit mentio. Ac sane haec donaria, diis gratissima maximeque splendida,[18]) quae haud infrequentia[19]) offerri solebant, nullo numero, immo vero superflua fuissent, nisi pro certo poneremus adfuisse simulacra, quorum θεραπεία[20]) ea desiderasset, quibusque curandis ornandisve[21]) opus fuisset tanto apparatu.

Quum ea, quae exposuimus, nobis videantur sufficere ad sententiam Voelckeri de nimis magno, Lobeckii de nimis exiguo templorum numero refellendam, tamen desistere de caussa nostra nolentes, quam viam semel sumus ingressi, eam pergere conabimur ducibus adhuc aliis argumentis, quae, ex singulis indiciis carminum certissimis depromta, ut auctoritate sua ad nostram de templis sententiam etiam magis confirmandam plurimum valeant, futurum esse confido, quibusque propositis quaestio erit confecta. Primum enim ex Od. VI, 9 sq.: *ἀμφὶ δὲ τεῖχος ἔλασσε πόλει, καὶ ἐδείματο οἴκους, καὶ νηοὺς ποίησε θεῶν κ. τ. λ.* in unaquaque urbe recens condita unum vel plura templa si non omnibus, at diis gentiliciis atque patriis[22]) exstruebantur. Deinde Od. XII, 345 sqq.[23]) legimus, Ulyssis socios Helio ad perpetratum in ejus boves scelus expiandum se Ithacae templum exstructuros vovisse; quod quamquam unicum apud poetam est voti templorum exstruendorum exemplum, tamen nobis haud leve sit argumentum, quam propensi fuerint Graeci, quum qua per vitam sese occasio obtulisset, ad templa diis

---

»*ἀγάλματα*« hoc loco dicuntur vestes aliaeque res pretiosae generis ejusdem, auro contextae et pictae (Il. VI, 294: *κάλλιστος ποικίλμασιν*: cf VI, 90 sq.; H. Merc. 181; Duncan. s. v. *ἄγαλμα* et *ὕφασμα*). Haec sententia etiam grammatica ratione defenditur; nam poeta, ut Schol. ad l. l. bene observat, saepe primum notionem generaliorem ponit, cui tum per copulam singulas species annectit.

16) In his memorantur vasa ex varii generis metallo fabricata, imprimis tripodes et lebetes: H. Merc. 179 sq.: *ἔνθεν ἅλις τρίποδας περικαλλέας ἠδὲ λέβητας πορθήσω, καὶ χρυσὸν, ἅλις τ' αἴθωνα σίδηρον*, aliaeque ejusmodi res (cf. Il. IX, 407).

17) Ut spolia in gratiam victoriae de atroci hoste reportatae: Il X, 460 sqq. Ulysses arma Doloni detracta Minervae dedicat; Il. VII, 81 sqq. Hector se hostis interfecti arma in Apollinis templo suspensurum vovet.

18) De vestium splendore cf. imprimis Il. VI, 294 sq., ubi Minervae *πέπλος* sic describitur: *ὃς κάλλιστος ἔην ποικίλμασιν ἠδὲ μέγιστος, ἀστὴρ δ' ὣς ἀπέλαμπεν.*

19) Od. III, 274; XII, 347.

20) Cf. Plat. Euthyphr. p. 13; Republ. II, p. 362.

21) Porphyr. abstin. II, 16: *στεφανοῦν καὶ φαιδρύνειν*: cf. O. Mueller. Archaeol. §. 69: »Die Hauptsache aber war bei diesen Bildern, dass sie Gelegenheit gaben, die Gottheit nach menschlicher Weise vielfach zu bedienen und zu besorgen. Diese Holzbilder werden gewaschen, gebohnt, angestrichen, gekleidet, frisirt, mit Kränzen und Diademen, Halsketten und Ohrgehängen ausgeschmückt; sie haben ihre Garderobe und Toilette, und in ihrem ganzen Wesen entschieden mehr Aehnlichkeit mit Puppen, als mit den Werken der ausgebildeten plastischen Kunst.«

22) Cf. Nitzsch. ad l. l.; Voelcker p. 39.

23) *Εἰ δέ κεν εἰς Ἰθάκην ἀφικοίμεθα, πατρίδα γαῖαν, αἶψά κεν Ἠελίῳ Ὑπερίονι πίονα νηὸν τεύξομεν.*

dedicanda. Tum etiam iis in locis, qui diis maxime in deliciis erant, ut Cyprus Veneri, Ida Jovi, Argos Junoni, ubi libentissime versabantur undeque nomina[24]) trahebant, fuisse templa haud negandum est (de qua re est a nobis jam supra disputatum). Denique si addimus Od. III, 273,[25]) ubi multae deorum arae Mycenis constitutae celebrantur, quae, ut supra demonstravimus, ad templa pertinebant, eosque locos, ubi fit *ἀγαλμάτων* et *δώρων* mentio, atque si postremo eas rationes, quarum gravitate nixi *τεμένη* arctissime cohaesisse cum templis probare conati sumus, iterum animo volvimus, vix quisquam dubitarit, quin hac aetate ubique ac pro temporum ratione satis magna templorum exstiterit multitudo et in Graecia ejusque insulis et apud Trojanos eorumque socios. Sed haec quidem hactenus.

Nos autem argumentatione nostra, quod efficere voluerimus, neque Lobeckii aut Voelckeri contrariis indulgentes partibus, et iis, quae sunt a Nitzschio bene recteque monita, multum tribuentes, id simus assecuti necne, penes alios sit judicium; nihil aliud certe egimus, nisi ut eam proponeremus sententiam, quae divino Homericae aetatis sensui ceterisque rebus plurimum sit accommodata. Templo igitur simulacrum, ara, ager sacer adeo annexa erant, ut, si horum quid defuisset, natura templi omnibus suis numeris non expleta fuisset; quibus praecipuis partibus accedit adhuc alia eaque extrema, in qua harum quasi splendor est maximus: **sacerdotes**, de quibus nunc dicturi sumus.

§. 3.

De numero sacerdotum.

Apud Homerum sex tantummodo sacerdotes nominatim commemorantur, ex iisque duo una cum templis: Chryses,[1]) sacerdos Apollinis Sminthei[2]) (cf. §. 1. I, 1), et Theano,[3]) sacerdos Minervae (cf. l. l. I, 2), Cissei, principis Thraciae, filia,[4]) Antenoris (Il. III, 148 sq.) uxor (Il. VI, 299), quae Pedaeum, spurium quidem, diligenter tamen aeque cum liberis, gratificans marito suo, educavit;[5]) fuit a Trojanis sacerdos creata.[6]) Qui praeterea nomi-

---

24) Ut *Ζεὺς Ἰδαῖος*, *Δωδωναῖος*; *Ποσειδάων Ἑλικώνιος*; *Ἀφροδίτη Κυθέρεια*, aliaque ejusdem generis cognomina.

25) *Πολλὰ δὲ μηρί' ἔκηε θεῶν ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς.*

1) Il. I, 37 sqq., 370.

2) De hoc Apollinis cognomine cf. interprett. ad Il. I, 39.

3) Il. VI, 297 sqq.

4) Il. XI, 223 sqq., cf. VI, 299. Ex genealogia posteriorum poetarum Theano erat soror Hecubae, ergo Priami affinis.

5) Il. V, 69 sqq.

6) Il. VI, 300: *τὴν γὰρ Τρῶες ἔθηκαν Ἀθηναίης ἱέρειαν*: ad quem locum monet Eustathius p. 643: *οὔτε κληρωτὴν οὔτε ἐκ γένους οὐδ' ἑνὸς ψήφῳ, ἀλλ' ἦν, ὡς οἱ παλαιοί φασιν, τὸ πλῆθος εἵλετο*: cf. Nitzsch. ad III, p. 222, Naegelsb. p. 176.

nantur, sunt hi: **Dares**,[7]) Vulcani sacerdos Trojanus (cf. §. 1. II, 2 a), cujus ambo filii, Phegeus et Idaeus, pugnae peritissimi contra Diomeden digladiabantur; **Dolopion**,[8]) Scamandri sacerdos in Troade (cf. l. l. 2, b), pater Hypsenoris, ab Eurypylo interfecti; **Onetor**,[9]) sacerdos Jovis Idaei (cf. l. l. 2, c), cujus filius Laogonus a Merione est occisus; **Maron**,[10]) sacerdos Apollinis Ismarii (cf. l. l. 2, d) apud Cicones, qui Thraciam incolebant, Euanthis[11]) filius. Praeter hos nulli amplius sacerdotes apud poetam nominatim commemorantur; sed exstant etiam loci duo, ubi horum certe generatim fit mentio: Il. 1, 62 (*ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα*), qui locus spectat ad sacerdotes (et vates) in Achivorum castris ante Trojam positis (cf. infra §. 4); Il. IX, 575 (*πέμπον δὲ θεῶν ἱερῆας ἀρίστους*), ubi agitur de Aetolorum sacerdotibus, qui ad Meleagrum, Oenei filium, mittuntur oratum, ut urbi Calydoni contra Curetes auxilio veniat (cf. infra §. 5). Selli,[12]) *ὑποφῆται* Jovis Dodonaei (cf. §. 1. II, 7 d), quippe qui sint gens sacerdotalis, ad hanc quaestionem non pertinent (cf. infra §. 4). A poeta igitur **nominatim** memorantur sacerdotes apud **Trojanos** (Chryses, Theano, Dares, Dolopion, Onetor) eorumque socios (Maron), apud Graecos non item; nam *θυοσκόος*, qui Ithacae fungebatur (Od. XXI, 144 sq.), in numero sacerdotum non est ducendus.

Jam de sacerdotum quoque numero, quibusque locis sacris hi sint attribuendi, maxime inter se dissident viri docti, e quibus **Voelckerus** iterum in diversissimam discedit sententiam. Sacerdotes enim cum templis et agris sacris cohaerere arctissimo vinculo hi recte affirmant[13]) idque uno consensu; neque tamen in hoc acquiescentes **Nitzschius**, **Voelckerus**, **Naegelsbachius** etiam **lucis** praesedisse sacerdotes, quamvis graviores desint rationes, contendere[14]) audent. Ex quo fit, ut, numero sacerdotum plus justo aucto, simul natura eo-

---

7) Il. V, 9 sqq. Daretis nomine exstat ficticia narratio de excidio Trojae; cf. Ael. V. H. XI, 2.

8) Il. V, 77 sq.

9) Il. XVI, 604 sq.

10) Od. IX, 197 sq.

11) De hoc nomine et de ratione, quae inter Maronem et Dionysum intercedit, cf. Nitzsch. ad IX, 197.

12) Il. XVI, 234 sq.: *ἀμφὶ δὲ Σελλοί σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι*: ad quem locum Eustathius p. 1057 observat haec: *ὡς ὑποφητεύοντες προφητεύοντι ἐνταῦθα Διί· χαμαὶ γὰρ φασι δοραῖς ἐγκοιμώμενοι δι' ὀνείρων τοῖς χρωμένοις χρηματίζουσιν ἐκ Διός, καθὰ καὶ Λυκόφρων ἱστορεῖ, ὃς καὶ τόμουρον τὸν ἁπλῶς μάντιν λέγει ὁμωνύμως τοῖς ἐν Δωδώνῃ*: cf. Spanheim. ad Callim. H. Del. 94.

13) Lobeck. p. 258, Nitzsch. ad III, p. 221, Voelcker. p. 39, Naegelsb. p. 175, 180; quamquam in hac sententia sua non semper manent satis constanter. Quod quam vere dictum sit, cognoscatur supra ex §. 1; ad eandem materiam infra §. 4 revertemur.

14) Nitzsch. l. l.: »Die Tempel, die heiligen Aecker und Haine bedurften eines Hüters und Verwalters. Dies waren die Priester« etc.; Naegelsb. l. l.: »Jeder dieser heiligen Tempel, Aecker und Haine.... hat einen Priester« etc., p. 180 (infra not. 18).

rum, quae in ipsis templis sita erat, valde commutetur. At Voelckerus eo procedit audaciae, ut non lucis modo, sed solis aris eos fuisse conjunctos adeoque in templis amplioribus putet exstitisse plures. Quid vero de hac sententiarum varietate ac dissensione, praecipue quid de sententia Voelckeri, qua contineantur ceterae omnes, judicandum, quidque aut probandum sit aut rejiciendum, nunc diligentius indagemus.

Voelckerus (p. 39) proponit haec: «Wenn wir nun nicht bloss auf jeden Tempel einen Priester (daher viele in einer Stadt sind Il. IX, 575), sondern auch auf grössere Heiligthümer mehrere zugleich rechnen dürfen, nach dem Beispiele der Seller zu Dodona, und den heiligen Aeckern (*τέμενος*), Hainen und Altären ausserhalb der Städte ebenfalls ihre Priester geben müssen (nach Il. XVI, 604 u. Od. IX, 197), so sehen wir das Homerische Griechenland allerdings mit einer Unzahl von Priestern überfüllt.» Quod Voelckerus initio censet, fuisse in quoque templo sacerdotem unum, ideo in una eademque urbe multos, nihil est, quod contra dicatur; sed de lucis et aris non recte judicat, quum his, nisi ad templum pertinebant, non essent sacerdotes. Num fortasse inter illos Homeri locos omnino unus est, ubi apud solum lucum aramve reperiatur sacerdos? Quam luculenter id ipsum probat Ithaca, ubi commemoratur *ἄλσος* et *βωμός*, sacerdotes minime (cf. §. 1. II, 4, a b)! Od. IX, 200 (*ἄλσος* Apollinis Ismarii, cf. l. l. 2, d) huic sententiae prorsus non repugnat, immo vero eam probat; nam quod hic lucus conjunctus erat templo, ea sola caussa est, cur ibi vitam agere potuerit sacerdos. Quanam tandem ratione convenit fuitque aptum, ministrum sacrum, qui dei esset deliciae eumque ipsum pro dignitate sua sacerdotali atque sanctitate repraesentaret, ad arae gradus vel in luco diem noctemque degere sub divo? Sacerdos nisi apud templa non sacrificabat ibique solum habebat domicilium (cf. infra §. 4). Ita tantum sacerdos Apollinis Ismarii dici potest habitasse in luco.

Quod autem Voelckerus l. l. ad numerum sacerdotum etiam magis augendum dicit, in templis amplioribus fuisse plures, probari non potest ex Homero, qui ipse apud singula templa unum tantum fuisse demonstrat. Ex Sellis Dodonaeis id nobis conjicere non est licitum; fuerunt enim, ut jam supra diximus, non singuli sacerdotes, sed gens sacerdotalis. Esset aegre hoc concedendum, si certa quaedam exstitissent templa simul pluribus diis consecrata: cujus rei exemplum unicum atque haud ita perspicuum invenitur Il. V, 445 sqq.,[15]) ubi narrat poeta, Aeneam ab Apolline positum esse in ipsius templo (cf. supra §. 1, I. 3), ejusque vulnera ibi ab Latona et Diana esse curata. «Forte,» monet Heynius ad l. l., «hae deae fuere *σύνναοι*,[16]) eodem in templo una cum Apolline coli solitae; unde facile ea notio habitationis

15) *Αἰνείαν δ' ἀπάτερθεν ὁμίλου θῆκεν Ἀπόλλων Περγάμῳ εἰν ἱερῇ, ὅθι οἱ νηός γ' ἐτέτυκτο· ἤτοι τὸν Λητώ τε καὶ Ἄρτεμις ἰοχέαιρα ἐν μεγάλῳ ἀδύτῳ ἀκέοντό τε κύδαινόν τε.*

16) Vel *σύνοικοι*, boeotice *ὁμοχέται* (cf. Thuc. IV, 97 c. interprett.). *συγκαθιδρυθέντες* vel *συγκαθιερωμένοι* (C. I. nr. 1444); Plut. qu. symp. VII. 6, 3: *οἱ θεῷ θύοντες ἅμα συμβώμοις καὶ συννάοις κοινῶς συνεπεύχονται*: cf. Lobeck. p. 150.

nasci potuit.» Quum vero Homeri temporibus templa dedicari solerent singularibns diis, atque eandem sacerdotum fuisse constet rationem, negligamus, ne nobis id vitio detur, haud veriti, unicum illud exemplum, neve ei tantum, quantum Voelckerus, tribuamus auctoritatis.[17]) Utcunque res est, hoc quidem certe apparet, virum illum doctissimum in statuendo sacerdotum numero esse nimium. Haec hactenus.

Exstant vero adhuc aliae rationes, quae aetate Homerica numerum sacerdotum in immensum augeri atque ex multitudine locorum consecratorum judicari illorum numerum non patiantur. Ut ea, quae sunt et de simulacris et de templis supra demonstrata, omittamus, hoc tempore sacerdotes haud ita necessarii fuerunt, quum neutiquam soli inter deos et homines essent intercessores,[18]) sed cuique, sive magistratus erat sive homo privatus, atque omni coetui hominum concilioque, sacerdote adhibito nullo, extra templum sacra facere et preces fundere fas esset; quae res quomodo se habuerit, nunc pluribus verbis exponamus.

Primum enim reges[19]) principesque, orti ex illa stirpe, quae molestum atque odiosum sacerdotum everterat imperium, rebus sacris praeerant, et quidem sic, ut, quum e civitate esset, sacrificia publica non institui solum juberent, sed et iis ipsi fere interessent atque ea procurarent et administrarent. Hac sola ratione reges sacerdotis munere fungebantur recteque pontifices maximi possunt dici,[20]) quandoquidem ritus religiosos eosdem peragebant ac sacerdotes, sacrificare et precari, quibus rebus horum partes continentur primariae. Neque vero omnia ad reges pertinebant sacra, sed, auctore Aristotele,[21]) ea sola, quae non apud templa fierent; nec pro sacerdotali munere sacrificabant, sed, quum salva senum optimatum auctoritate in se summam reipublicae complecterentur, ex hac vi, quae dicitur, politica emanavit quasi haec sacrorum publicorum administratio. Cujus rei exempla apud poetam suppeditant permulta, quorum pauca tantum afferantur. Agamemnon, senibus Graecorum optimatibus convocatis, ipse ante proelium commissum Jovi bovem sacrificat (Il. II, 402 sqq.); idem, quum

---

17) Seriore sane tempore haud raro fiebat, ut dii, qui sibi sua natura et indole finitimi erant, in uno eodemque templo simul coli solerent, ut Ceres et Proserpina, Jupiter et Juno vel Minerva, Bacchus et Apollo vel Mercurius, Mercurius et Venus, et quae sunt alia ejusmodi exempla; cf. Athen. VIII, 18: *Ζηνοποσειδῶνος νεώς*.

18) Naegelsb. p. 180: »so dass eben darin der Beweis liegt, wie wenig in dem Verhältniss des Menschen zur Gottheit eine priesterliche Intercession für nöthig erachtet wird, wie viel mehr der Tempel oder der Hain eines Priesters bedarf, als der Fürst oder das Volk.«

19) Quanta eorum fuerit dignitas, inde colligi potest, quod sancti atque a diis nutriti nominantur: Od. VII, 167: *ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο*, Il. I, 176: *Διοτρεφέων βασιλήων*: cf. II, 98, 196 et alibi.

20) Naegelsb. l. l.: »Diese Feiern unterscheiden sich nach Opferhandlung und Gebet in nichts von den priesterlichen sacris, sondern nur nach den mitwirkenden Personen.«

21) Politic. III, 10: *κύριοι δὲ ἦσαν τῆς τε κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας καὶ τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαί*: idem l. l. VI, 8 extr. (supra p. 4 not. 18).

inter Graecos et Trojanos de foedere feriundo atque de sacris, quibus hoc sanciretur, faciundis convenisset, manibus sublatis Jovem alta voce precatur, quo facto agnorum fauces abscindit ceterosque peragit ritus religiosos (Il. III, 271 sqq.); Alcinous ad iram Neptuni placandam jubet peragi sacrificia (Od. XIII, 171 sqq.). Eademque ratione rex sacrum ministerium obibat vel festis statis atque anniversariis, ut sunt illa apud Aetolos *θαλύσια*,[22]) quibus festis Oeneus, Calydonis rex, aliis diis hecatombas epulantibus, soli Dianae sacrificare erat oblitus.

Deinde cuique, qui vellet, sive paterfamilias suis quid a diis commodi impetrare, sive coetus conciliique cujusdam praeses iis se gratum praebere cupiebat, sive alii aliis de caussis ad eos accedebant, preces mittere atque sacris domesticis et privatis praeesse eaque procurare, sacerdote intercessore nullo, fas erat. Nam quum stata et anniversaria sacra essent rariora, atque homines sibi se omni in vitae conditione deorum indigere ope auxilioque persuasissent, fieri non potuit, quin sacra cum tota vita arcte cohaererent. Huc accedit, quod nemo tam vulgaris erat tamque profanus, cui non ipsi sacrificare sacrisque faciundis religioni suae indulgere liceret, quia ab Homeri carminibus abest religiosa caedis perpetratae expiatio.[23]) Etiam hujus rei multa apud poetam sunt exempla: ut heroes in suis ipsos aedibus res divinas rite perpetrare videmus. Cui in mentem non veniant frequentissima illa Jovis *ἑρκείου* sacra? Peleus, quem Nestor et Ulysses adierant, in septo aulae Jovi *ἑρκείῳ* femora bovis adolet libatque vinum nigrum (Il. XI, 772 sqq.); de Laerte et Ulysse idem memoratur Od. XXII, 334 sqq.: Patroclus ab Achille jussus in tentorio munus obit patrisfamilias primitiasque diis sacrificat (Il. IX, 219 sq.); Nestor, ubi se Minervae bovem immolaturum vovit, multa precatus filiis generisque praesentibus ei domi suae libationem offert (Od. III, 390 sqq.); idem, omnibus ritibus religiosis peractis, ipse filiis administrantibus huic deae bovem sacrificat (l. l. v. 455 sqq.): Pylii Neptuno hecatombas immolant (Od. III init., cf. v. 338 sqq.); Telemachus in navis puppi Minervae sacra facit (Od. XV, 222); praeterea cf. Od. XIII, 349 sq.; XVII, 211.

---

22) Il. IX, 533 sqq.: *καὶ γὰρ τοῖσι κακὸν χρυσόθρονος Ἄρτεμις ὦρσεν, χωσαμένη, ὅ οἱ οὔ τι θαλύσια γουνῷ ἀλωῆς Οἰνεὺς ῥέξ᾽· ἄλλοι δὲ θεοὶ δαίνυνθ᾽ ἑκατόμβας κ. τ. λ. Θαλύσια* omnino sunt festa post messem et vindemiam celebrari solita; cf. Kiesling. Theocrit. VII, 3.

23) Muellerus quidem ad Aeschyl. Eumen. p. 134 et Schoemannus ad eandem fabulam p. 67 expiationem caedis apud Homerum sane fuisse contendunt; sed Schol. Venet. ad. Il. XI, 680 monet haec: *παρ᾽ Ὁμήρῳ οὐκ οἴδαμεν φονέα καθαιρόμενον, ἀλλὰ ἀντιτίνοντα καὶ φυγαδευόμενον*: et quidem recte, quoniam huius instituti, quod ad Apollinis cultum, qui apud poetam est adhuc parvi momenti, pertinet, obiter tantum mentio fit Il. XXIV, 480 sqq. De hac re optime judicat Lobeckius p. 301: »heroico enim aevo quicunque tale facinus in se admiserant, aut exilium dira poenam pro caede luebant aut culpam pretio redimebant; cujus generis ille multos inducit et domi cum civibus et foris cum hospitibus impune innoxieque conversantes, quod fieri nullo modo potuisset, si jam tum viguisset opinio homicidarum interventu deorum religiones et hominum coetus contaminari omniumque rerum exitus vitiari;« idem p. 303; cf. Nitzsch. vol. II, p. XXII; Terpstra p. 89 sqq.; Naegelsb. p. 250 sqq.

Recte igitur ab Naegelsbachio[24]) totus cultus divinus dividitur in partes tres: cultum sacerdotalem, politicum et domesticum.

Denique subjiciatur, quo majorem nostra sententia habeat fidem, etiam haec ratio eaque gravissima, quod aetas Homerica proxima est iis temporibus, quibus pars populi bellicosa, sacerdotio oppresso atque ad exitum paene vocato, evasit victor obtinuitque principatum. Sacerdotes ita imperio suo expulsi et quasi disjecti turbis domesticis non amplius ea, qua prisco tempore, florebant auctoritate[25]) atque sese in latibula receperunt. Ea est caussa praecipua, cur apud Achivos ne unus quidem sacerdos, qui certo cuidam templo sit attributus, nominatim denotetur, sed generatim tantum et quasi data occasione mentio fiat sacerdotum.[26]) Nihilominus inde haud ita exiguus eorum efficitur numerus; nam ex Il. I, 62 sacerdotes in castris Graecorum vel plures fuisse conjiciendum est. Contra ad Trojanos eorumque socios sacerdotes pertinent universi, qui nominatim memorantur, atque apud ipsos hos majorem, quam apud Graecos, illorum numerum statui maxime huic rationi convenit, quod Troas a Graecia longe remota turbis seditionibusque domesticis, quae tunc erant illic exortae, minus commovebatur.

His rationibus propositis, si quis Homerum attente legit, ei non amplius mirum videbitur, quod de templis et sacerdotibus mentio apud Achivos pro re ipsa fit raro, apud Trojanos eorumque socios saepius. Neque tamen existimandum est, ubi sacerdotes non dilucide commemorentur, eos ibi non fuisse, sed reges functos munere sacrificandi; immo vero et apud Achivos et apud Trojanos, ubicunque essent templa, exstitisse etiam sacerdotes sumamus necesse est. Haud dubie igitur numerus eorum major, quam pro rara mentione, fuit, quamquam non tantus quidem efficitur, quantum postea tulit Graecia festis valde abundans templisque maxime referta. Quibus omnibus de caussis stare nequeo cum Voelckero (p. 39): «so sehen wir das Homerische Griechenland allerdings mit einer Unzahl von Priestern überfüllt.»

Quae quum ita sint, tamen mihi minime probatur, quod Vossius Mythol. Br. I, 3 profert (apud Voelcker. p. 37): «Die griechische Mythologie ist bei Homer erst in der Entwickelung aus dem rohen Fetischismus der eichelessenden Pelasger begriffen, — ein Werk Homer's

---

24) P. 174: »Der Dichter giebt uns Thatsachen an die Hand, um je nach den Personen, von denen der Gottesdienst verwaltet wird, zwischen priesterlichem, politischem und häuslichem zu unterscheiden.«

25) Hermann. §. 4, 10: »Erst der Heraklidenzug machte diesen Bewegungen in sofern ein Ende, als er das erschütterte Gleichgewicht des gottesdienstlichen und bürgerlichen Elementes wieder herstellte; selbst die Heroenzeit, wie sie uns das griechische Epos schildert, lässt trotz der zurückgekehrten Sittigung, die eben in Namen wie Theseus und Herakles personificirt ist, den Cultus nur als ein vereinzeltes Moment des grossen und reichen Volks- und Staatslebens erscheinen.«

26) Il. I, 62; IX, 575.

und anderer Weisen seiner Zeit, — und die Homerischen Götter sind theils personificirte Ideen und Begriffe, theils vergötterte Vorfahren und Könige;» quibus verbis Voelckerus annectit haec: «Einem solchen kalten und unpriesterlichen Anfang der Religion entspräche vollkommen nach der Darstellung des Hrn. Verf. (Lobeckii) der religiöse Zustand in Bezug auf Priester und Tempel der Homerischen Zeit. Der Priester und Tempel wären darnach wohl noch einige bei den Troern, aber bei den Achäern so wenige, als ob gar keine Religion wäre!» Nam quum Graeci, vere si rem aestimamus, fetischismo, qui vocatur, certe ne prisco quidem tempore indulsissent, etsi initio, simulacrorum adoratione nondum usi, saxa et lapides rudes informesque et arbores cultu divino prosequebantur,[27]) multo minus potest nobis persuaderi, id ab his factum esse aevo heroico, qno cuique, qui vellet, sacra facere ad deosque accedere licebat, quo summa erat populi in sacerdotes reverentia iisque induebantur cognomina honorificentissima (cf. §. 3), quo infinita fere reperitur multitudo rerum varii generis, quae *ἱερά*[28]) appellantur. Qua de caussa nobis praestare videtur hanc sententiam amplecti, ut jam tum animos hominum communi quodam numinis sensu conscientiaque religiosa, cui alius aliter satisfaceret, hic sua sponte, ille sacerdote adjutore, imbutos fuisse existimemus. Nec minus longe absit a nobis ea opinio, illo tempore cultum divinum fuisse inopem omnibusque subsidiis destitutum, naturam religionis languidam atque frigidam,[29]) neque ullam ad homines movendos habuisse vim; immo vero, quum ante oculos animosque proposuerimus, quam artificiose a poeta deorum stirps et progenies ad certam normam composita sit atque elaborata,[30]) ut jam ab historiae patre[31]) is cum Hesiodo princeps Graecorum mythologiae auctor habeatur,

27) Stuhr, Relig. Syst. II, p. 19: »der alte Baum-, Felsen- und Steindienst der pelasgischen Vorzeit muss nach Allem, was eine gründliche Geschichtforschung lehrt, ganz anders und weit tiefer nud geistiger gedeutet werden, als auf Fetisch- und Amuletendienst.«

28) Nitzsch. ad III, 278: »Heilig, *ἱερόν*, nennt Homer nicht bloss das in besonderem Bezuge zu den Göttern oder einem Gotte, oder unter ihrem Schutze Stehende, heilig ist überhaupt das Wort des religiösen Gefühls, oder des Gefühls von dem Einflusse höherer Macht:« cf. Jacobs. verm. Schr. III. p. 49.

29) Voelcker. p. 40: «Allerdings ist der Geist der Homerischen Religion, trotz der Scheu und Achtung des Dichters selbst vor den Göttern, im Ganzen indifferent und leichtfertig.»

30) Nitzsch. ad VI, p. 96: Bei Homer erscheint der Götterstaat so fertig und ausgebildet, dass man auch daraus schliessen muss, nicht bloss die Götter schaffende Zeit, sondern auch die der Mittheilung derselben von einem Stamme an den andern liege weit hinter ihm, und er habe seinen Olymp mit der Heroensage von früheren Sängern empfangen:« cf. Mueller. Prolegg. p. 219. 347 sqq.; Creuzer. Symb. III, p. 64, IV, p. 639 sqq.; Heeren, Id. III, p. 67 sqq.

31) Herod. II, 53: *οὗτοι δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες*: cf. Nitzsch. vol. I. p. XIII sq.; O. Mueller. Lit. Gesch. I, p. 133; Terpstra p. 2. §. 2: «Quae quidem Herodoti verba non ita sunt accipienda, ut ea omnia Homerum et Hesiodum primos invenisse existimemus: his enim repugnant, quae de Orpheo, Musaeo aliisque veterioribus sunt prodita. Immo vero fuit Graecis mythologia ante

quamque copiose cultus abundet omnibus fere ritibus religiosis, tum profecto nobis haud difficile erit ad perspiciendum, elementa mythologiae cultusque primaria jam Homeri carminibus perfecta contineri, quae nimirum procedente tempore plus minusve sunt immutata. Bene ergo ii, qui immerito aetati heroicae obtrectare eamque cavillari haud verentur, a Muellero (Prolegg. p. 354) corriguntur castiganturque his verbis: «Es ist aber überhaupt sonderbar, wie sehr sich viele Gelehrte bemühen, aus dem Homer den Cultus herauszubringen. Als wenn Homer nicht den Götterdienst im vollständigsten Begriffe des Wortes kennte etc.[32])

§. 4.

De ea, quae inter templum et sacerdotem intercessit, ratione, sive de vi atque natura sacerdotum.

Etiamsi, qualis fuerit ratio inter templum et sacerdotem, jam ex iis, quae sunt supra a nobis passim dicta, ex aliqua quidem parte eluceat, tamen nunc rem etiam accuratius atque tenore uno pertractemus oculisque proponamus, ne quid desideretur, quod sit majoris momenti.

Si igitur quaerimus, quibus rebus sacerdos differat a ceteris ministris sacris,[1]) sive ii ipsi ritus religiosos peragebant, ut *θυοσκόοι* et *μάντεις*, sive magis externas res cultus divini administrabant, ut seriore tempore *ἱερομνήμονες*, *ἱεροποιοὶ*, qui iidem *ἱεραπόλοι* vel *ἐπιμήνιοι* vocantur, sive conservandis aedibus sacris reficiendisque erant curatores atque divitiis earum opibusque custodiendis praefecti, ut *νεωποιοί*, *ἱεροφύλακες* et *ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων*, sive erant in ritibus cerimoniisque faciundis et universe in administratione templi rerumque sacrarum adjutores, ut *κήρυκες*, *ἱεροκήρυκες*, *ζάκοροι* vel *ὑποζάκοροι*, *νεωκόροι*, *κανηφόροι*, *ἀῤῥηφόροι* et qui sunt alii ejus generis, quorum numerus[2]) haud exiguus fuit, — sed tamen si hoc quaerimus, natura sacerdotis potissimum in eo versatur, quod totum munus ejus singulaque officia atque ipsa persona cum templo tam arcte cohaerent, ut sine altero cogitari non possit alter;[3])

Homeri et Hesiodi tempora: hi vero e populari traditione, quae ad Deos pertinent, omnia diligenter relata confirmarunt et ornata auxerunt, ita ut dein fere soli in Graecorum theologia principes haberentur et quasi auctores.«

32) Nitzsch. Melett. I, p. 29: »ac recte mihi contendere videor, Graecos prius sacra sacrorumque apparatum quam rerum publicarum ac civilium rationes accuratius distinxisse uberiusque instruxisse.»

1) Aristot. Politic. VI, 8 extr.: *ἄλλο δ᾽ εἶδος ἐπιμελείας ἡ περὶ τοὺς θεούς, οἷον ἱερεῖς τε καὶ ἐπιμεληταὶ τῶν περὶ τὰ ἱερά, τοῦ σώζεσθαι τὰ ὑπάρχοντα καὶ ἀνορθοῦσθαι τὰ πίπτοντα τῶν οἰκοδομημάτων καὶ τῶν ἄλλων, ὅσα τέτακται πρὸς τοὺς θεούς· συμβαίνει δὲ τὴν ἐπιμέλειαν ταύτην ἐνιαχοῦ μὲν εἶναι μίαν, οἷον ἐν ταῖς μικραῖς πόλεσιν, ἐνιαχοῦ δὲ πολλὰς καὶ κεχωρισμένας τῆς ἱερωσύνης, οἷον ἱεροποιοὺς καὶ ναοφύλακας καὶ ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων.*

2) Cf. Hermann. §. 36.

3) Inter illos viros doctos Hermannus et Nitzschius soli hanc sententiam aperte distincteque profitentur: Hermann. §. 33, 13: »Ihre Sphäre war vielmehr wesentlich nur der Tempelcultus;« §. 35 init.:

quid multa? sejuncti penitus amitterent vim suam naturalem atque indolem. Ille, princeps templi custos et administrator, cujus fidei tutelaeque summa rerum sacrarum commissa erat, praecipue et sacrificiis et precibus et cerimoniis, quaecunque in honorem dei fiebant, intererat, praeerat eaque ipsa procurabat, omnino summam totius cultus divini habebat curam.

Quae quum ita essent, quid aptius atque accommodatius, quam ut sacerdoti domicilium ac sedes esse soleret si minus in templo ipso, at in cellis, quae ei proxime imminebant, ut hoc Theanus[4]) exemplo probatur, aut prope templum in agro sacro, ubi haud dubie aedificia erant in multiplicem usum sacrum exstructa, quod nos docet Maron,[5]) qui in luco degebat.[6])

»wie sie jedoch selbst Gebet und Opfer zunächst nur in sofern verrichteten, als beides b e i d e m b e s t i m m t e n T e m p e l ihrer Gottheit dargebracht ward« etc. (cf. §. 7, 7. 12. §. 18, 5); Nitzsch. ad III, 439 p. 220: »Priester und Priesterinnen finden wir n u r b e i T e m p e l n;« l. l. p. 221: »Vielmehr sind wir berechtigt, wie wir in Troja Priester nur zu besondern Tempeln finden, so auch bei den Achäern da Priester vorauszusetzen, w o T e m p e l s i n d;« neque tamen Hermannus Onetori templum attribuit (cf. supra p. 16 sq.), et Nitzschius apud Maronem aliquantulum haesitat (cf. supra p. 17 sq.). Lobeckius et Voelckerus, quid de hac re sentiant, non satis plane perspicueque ostendunt; sed ille nostram sententiam non habere videtur, quum p. 258 Onetori templum non attribuat. Voelckerus, qui p. 42 recte contendit, sacra i n t e m p l i s nisi a s a c e r d o t i b u s fieri non posse (perperam l. l. »und in den H a i n e n«), sibi non constat, Onetori templum fuisse statuens (p. 59), nec Maroni (p. 58). Naegelsbachius p. 176 recte affirmans: »und da offenbar dies Alles, T e m p e l, Cultus und P r i e s t e r s t a n d, g l e i c h z e i t i g entstanden ist« etc., p. 177: »denn sind sie an den T e m p e l d i e n s t, wie man doch annehmen muss, gebunden« etc., tamen Onetori (p. 175) et Maroni (p. 176) templa fuisse negat. Praeterea sine ulla dubitatione censet, etiam l u c i s per se fuisse sacerdotes (sic Voelckerus quoque p. 42 et alibi), p. 175: »Jeder dieser heiligen Tempel, Aecker und H a i n e hat einen Priester,« p. 177: »wenn gleich vom Daseyn des Apollinischen *ἄλσος* Od. *υ*, 278 auf Priester geschlossen werden kann« etc., p. 180: »so dass eben darin der Beweis liegt.... wie viel mehr der Tempel oder der H a i n eines Priesters bedarf« etc. Quod Naegelsbachius p. 174 dicit: »Der priesterliche Gottesdienst ist zuvörderst an h e i l i g e S t ä t t e n geknüpft.« id etiam ad lucos (et aras), qui profecto sunt loci consecrati, referendum est. Eadem ratione Terpstra lucis sacerdotes fuisse censet p. 16: »Quibus vero locis templa in Deorum honorem exstructa, vel *ἄλσεα* et *τεμένη* consecrata fuerunt, iisdem sacerdotes aderant;« templis non unice, sed praesertim tantum sacerdotes fuisse dubitanter dicit p. 69, §. 5: »Plurimis sacris, p r a e s e r t i m u b i t e m p l a a d e r a n t, sacerdotes, u t v i d e t u r, praefuerunt;« qua de caussa non est mirum, quod Onetori templum (p, 13, §. 5), nec Maroni (p. 12, §. 5) fuisse statuit.

4) Il. VI, 297 sq.

5) Od. IX, 200 sq.

6) Cf. Paus. X, 34, 4, ubi de sacerdote Minervae Elateensis haec legimus: *τήν τε ἄλλην δίαιταν ἔχει παρὰ τῇ θεῷ καὶ λουτρὰ αἱ ἀσάμινθοι κατὰ τρόπον εἰσὶν αὐτῷ τὸν ἀρχαῖον.* Hanc necessitudinem vel usque ad seriora tempora permansisse, argumento est Paus. IV, 33, 3, qui locus sacerdotem simulacrum dei secum domi habuisse demonstrat; neque vero non contrarium, quod posteriore aevo sacerdotes interdum procul a templo domicilia sua habebant, narratione apud Herod. I, 31 de matre Cleobis et Bitonis confirmatur.

Sellos[7]) Jovis Dodonaei Voelckerus (p. 40) et Terpstra (p. 18, §. 6) huc pertinere volunt, quod nullo modo fieri potest. Nam primum hi fuerunt non sacerdotes, sed, ut Il. XVI, 235 aperte nominantur, ὑποφῆται, i. e. qui sortes a deo sive a vate editas interrogantibus reddebant, nihil aliud igitur nisi internuntii vel nuntiatores; deinde, ut re vera sacerdotali munere functi essent, tamen in hanc quaestionem cadere non possunt, quum inde, quod non singuli erant sacerdotes, sed gens aliqua eaque fere barbara omnique vitae cultu atque humanitate carens, quae illotis pedibus, humi pellibus victimarum incubans (ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι, Il. l. l. v. 235) austeritate vitae sanctitatem affectabat, eos non potuisse cum templo proxime cohaerere appareat; tum autem vox «ἀμφί» (Il. l. l. v. 234), quae mihi videtur ex toto orationis nexu ad Dodonam, non ad ipsum templum esse referenda, declarat, eos non modo templum, sed ne agrum quidem sacrum ei finitimum, immo vero totam regionem Dodonae circumjacentem incoluisse. Erat igitur sacerdos dei contubernalis; eo tempore, quo Graeci nondum simulacris utebantur, deus neque tabernam, neque contubernalem habuit. Sequitur, ut, qui sacra quadam actione ad deos accedebant, ideo non fuerint ἱερεῖς, sed qui in templo sacrificia, consecrationes, lustrationes curantes et pro hominibus preces concipientes, inter deos et homines intercedendi agebant partes; eademque ratione is solus, qui templum adire vellet, indiguit sacerdote.

Quo quidem contubernio nihil fuit profecto accommodatius magisque necessarium, illo maxime tempore, quo, cultu divino adhuc magis naturae conjuncto templisque haud raro extra urbem vel procul ab ea exstructis, sine contubernio bene commodeque fieri non potuit, ut sacerdos templum cum opibus suis, agrum sacrum totumque dei peculium, quae cuncta ipsi custodienda tradita erant, pro virili parte servaret atque defenderet. Sed suppetunt praeterea alia haud levia argumenta, quibus id contubernium efficiatur. Primum priscis temporibus, quibus jam arae et luci, nec templa fuerunt, sacerdotum prorsus nulla fit mentio; deinde Ithacae, ubi ἄλση et βωμοὺς fuisse constat, neque vero templa nominantur, nec ibi ea exstitisse probari potest (cf. supra p. 20), ob eam ipsam caussam ne sacerdos quidem reperitur, cujus vice apud Ithacenses θυοσκόος,[8]) qui ipse, ut jam supra diximus, cum templis non cohaeret, functus est, quod haud scio an non casu fortuitoque evenerit. Denique maximi momenti ad arctam templi et sacerdotis necessitudinem probandam mihi ea ratio videtur esse, quod Graeci in castris ante Trojam positis sacerdotes, qui quidem sacra facerent, secum non habuerunt. Ad hanc rem nisi quid obstitisset impedimenti, nonne Graecos, qua religione erant imbuti, qui sacra rite omnibusque cerimoniis ad templum oblata permagni ducerent, certe eos illuc conducturos fuisse credas? Sane quidem; id vero, ut apertum est, effici nullo modo potuit, nec necessarium fuit, quod cuique, ut supra vidimus, sacra facere fas erat. Facile

---

7) Il. XVI, 233 sqq.

8) Od. XXI, 144 sqq.

videatur huic sententiae repugnare Il. I, 62 sq., ubi Achilles ait: ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα,[9]) ἢ καὶ ὀνειροπόλον: quae discrepantia diluitur, si reputamus, sacerdotes non solum sacra fecisse, sed etiam voluntatem divinam esse interpretatos; fuit enim in ipsa rei natura positum, ut pro familiaritate sua cum diis et necessitudine paulatim discerent vim eorum numenque perspicere atque nuntiare. Quoniam autem μάντεις ex signis portentisque vaticinabantur, needum, ut seriore tempore, quo demum sunt extispicia usu recepta, iidem ipsa sacra faciebant, neque sacerdotum facultas divinandi pertinebat nisi ad inspectionem sacrorum, ut rite atque ordine fierent, et hi ex eorum eventu, i. e. inde, quod inter ea nihil obveniebat, ex quo conjici potuisset ira et offensio deorum, praesagiebant (quam rem non quisque accurate penitusque callere poterat), ea de caussa Graeci necessario in castra secum duxerunt sacerdotes, qui ex eventu sacrificiorum, quae alius quis faceret, vaticinandi obirent munus. Quo rectius de hac sententia judicium fiat, haud negligendum est, quod illo loco inter ipsum μάντιν et ὀνειροπόλον, quorum praecipuum munus erat vaticinari, etiam ἱερεὺς commemoratur; deinde, si naturam sacerdotalis officii respicimus, praeter illam caussam plane nulla alia in promtu est, cur hi castra Graecorum sint secuti. Sed ex iis, quae sunt supra demonstrata, recte mihi quispiam possit objicere, sacerdotem necessitate quadam junctum finitimumque fuisse templo: quae dubitatio eo tollitur, quod nixi auctoritate illius loci pro certo ponimus, sacerdotes tum tantum, quum sacrificabant (ἱερεῖς) et precabantur (ἀρητῆρες), ad ipsum templum fungerentur oportuisse. Atque quo probabilior ea ratio fiat, meminerimus, in munere ex sacrorum eventu vaticinandi non positam fuisse naturam sacerdotum, sed hoc iis accessisse tanquam rem levioris momenti, quae secundum obtineret locum, et non tam in arcto animi cum deo commercio constitisse, quod commercium sacra precesque desiderabant, quam in sola externa quadam actione. Ita haud sane mirum, quod sacerdotes per totum illud tempus, quo in castris Graecorum versabantur, dignitate sua sacerdotali quasi exuti atque ut δημιουργοί, in quorum numerum pro munere suo proprie non referendi sunt, hanc officii partem, quum res ita ferrent, etiam procul a templo administrabant.

Sed ut ad propositum revertamur, haec templorum et sacerdotum conjunctio et quasi quaedam societas per omnia tempora obtinuit. Plato (legg. VI, p. 759) hos haud temere refert in numerum ἀστυνόμων et ἀγορανόμων, quibus magistratibus cura erat et publicae securitatis et annonae; ut enim urbi ἀστυνόμοι, foro ἀγορανόμοι quacunque ratione prospiciebant, ita templis sacerdotes, ad quorum arbitrium res omnes huc spectantes redibant.[10]) Totus et mente et animo sacerdos in munus sacrum institit, nihilque prorsus abfuit, quin ne ullo quidem tem-

---

9) Naegelsbachius p. 177 dicit haec: »Die ἱερεῖς Il. α, 62 müssen keineswegs gerade griechische Priester seyn;« sed quales tandem alii sacerdotes intelligendi sunt?

10) Recte sacerdotes, quod ad administrationem spectat, cum magistratibus conferuntur, quia pariter atque hi ὑπεύθυνοι erant (cf. Aeschin. adv. Ctesiph. §. 18): neque vero eos omni ex parte magistratuum loco habendos docet Aristot. Polit. IV, 12, 2.

poris puncto intermisso ad templum aut in templo versaretur atque omnem in eo contereret aetatem. Videndum est igitur, ne templa a sacerdotibus, neve sacerdotes a templis sejungamus. Ex quo intelligitur, inter sacerdotes temporis historici interque eos, quales ante Homerum cogitandi sunt, intercedere nullam fere similitudinem. Hi enim, quum nondum prisco tempore templa exsisterent, proprie erant non sacerdotes, immo vero sacrorum antistites, principes sacerdotales, reguli hereditarii gentium, qui sacerdotium vel potius curam cultus divini cum auctoritate in republica eodem jure hereditario conjunxisse videntur, ita ut cultus gentilicius tum primum, quum ad templum pertinere coeperat, sacerdotalis fieret, principesque gentis evaderent sacerdotes; sed ἱερεῖς, quos quidem tempore historico invenimus, sive genere sive promiscua electione ad illud munus vocati soli templorum cultui operabantur; accedit, qnod illi sanctitatem habebant more, hi jure. Quapropter principes sacerdotales potius comparentur cum posterioris aevi regibus sacrificulis, qui sunt ἄρχοντες βασιλεῖς.

Sed quoniam sacerdotes, procul a vulgo in sacra quadam solitudine degentes, sese subtrahebant ab omni parte rerum publicarum atque tempus et otium, quodcunque erat, in sola templorum cura consumebant, facile possit quispiam adduci, ut eos tunc temporis secretam a ceteris civibus classem (nostra lingua «Kaste») effecisse existimet. Haec vero sententia toti Homericae aetatis ingenio repugnat, atque ut quam falsa ea sit probetur, ad singula, quae sunt jam supra dicta, iterum animum attendamus. Primum neque antiquissimis temporibus (cf. supra p. 2 not. 9. 10), nec iis, quae Homerum sequuntur, ejusmodi exstitit ordo;[11]) deinde sacerdotes fuerunt non soli inter homines et deos intercessores (cf. supra §. 3, p. 39 sqq.); tum electione fiebant (cf. l. l. not. 6); denique filii Daretis, ut tradit poeta, stipendia merentes proelio interfuerunt iidemque pugnandi peritissimi (cf. l. l. p. 37 init.), quod declarat, non modo sacrum patris ministerium in eos non transiisse, sed etiam iis rationem vitae plane contrariam sibi sua sponte eligere fuisse licitum. Recte igitur Nitzschius (ad III, 439, p. 222), Terpstra (p. 17, §. 4), Naegelsbachius (p. 176) et Voelckerus (p. 40) heroica aetate sacerdotum quasi quendam ordinem fuisse negant.

§. 5.

Qualis fuerit ratio inter deum et sacerdotem?

Hoc contubernio perpetuaque cum deo societate sacerdos evasit deliciae[1]) ejus vel quasi familiaris, qui ei unus omnium longe erat proximus. Naturali quodam vinculo inter se conjuncti erant, idque esse oportebat eo arctius, quod illo tempore sacerdotes non simul plurium vel omnium deorum cultui operabantur,[2]) sed munera et virorum et mulierum singu-

---

11) Cf. Isocr. ad Nicocl. §. 5: ἱερωσύνην παντὸς ἀνδρὸς εἶναι νομίζουσιν.

1) Il. I, 380 sq.

2) Seriore tempore, quo homines per speciem religionis cultu divino ambitionis atque avaritiae explen-

laribus tantum diis dedicata erant. Nihil est igitur, quod miremur, postea eos in ludis scenicis ipsorum deorum partes[3]) sustinere adeoque nuncupari nomine[4]) ejus dei, cujus peculiares erant ministri. Videamus nunc, quam late patuerit et quam varia multiplexque haec intima familiaritas fuerit atque necessitudo.

Sacerdotem ejusque familiam,[5]) quotiescunque rebus adversis vexabantur, deus suo numine et auxilio tuebatur ab omnique periculo atque calamitate defendebat, injurias iis illatas, quo amore erat paterno, gravissime, sive sua sponte sive precibus eorum permotus, ulciscebatur, nec sibi temperans, quum in sacerdote simul se offensum putaret atque eum ejusque domum duceret suum, eo procedebat irae, ut, quin ad injurias persequendas omnibus viis ac rationibus uteretur iisque acerbissimis, nullo modo recusaret. Erat inter utrumque clientela quaedam, fundamento pietatis constituta, atque necessitudo, quae inde proficiscebatur, nihil sane differebat ab ea, quae intercedere solet inter parentes et liberos. Cujus rei nobis poeta ante oculos ponit primo Iliadis libro, qui totus fere agit de Chrysae ejusque filiae Chryseidis rebus, imaginem luculentam, praeclaram, jucundam, cujus singulis momentis ne unus quidem fuerit quin delectetur. A Chryse, qui, quum filiam redemturus in castra Graecorum profectus[6]) esset, ab Agamemnone probris maledictisque vexatus atque contumeliose dimissus,[7]) re infecta redierat, Apollo, ut hanc ipsius injuriam duplicem vindicaret, rogatus[8]) iram concipit pestemque[9]) Achivis immittit, neque multum abfuit, quin hi ad internecionem fuissent redacti. Filia tandem recuperata, Apollo Chrysae precibus indulgens atqne sacris sibi rite perpetratis lenitus desistit ab incepto poenamque Achivorum meritam sacerdoti suo oranti obsecrantique

---

dae caussa turpiter abutebantur, haud raro unus idemque sacerdos fungitur pluribus sacerdotiis; cf. C. I. nr. 1446: *ἱερέαν κατὰ γένος Καρνείου Οἰκέτα καὶ Καρνείου Δρομαιέως καὶ Ποσειδῶνος Δωματείτα καὶ Ἡρακλέους Γενάρχα, καὶ Κόρας καὶ τεμενίου τῶν ἐν τῷ Ἕλει καὶ τῶν συγκαθιδρυμένων αὐτοῖς θεῶν καὶ ἄλλων θεῶν*: nr. 2720: *ἱερέα τοῦ Παναμάρου Διὸς καὶ τῆς Ἑκάτης τῆς δᾳδοφόρου .... ἱερέα Διὸς Χρυσαορίου κ. τ. λ.* Quin etiam *ἱερεῖς πάντων θεῶν* reperiuntur, quorum exempla Corp. inscr. suppeditat multa.

3) Schol. Aristid. T. III, p. 22: *ἐν ταῖς πομπαῖς ὁ μὲν Διονύσου, ὁ δὲ Σατύρου, ὁ δὲ Βάκχου ἀνελάβετο σχῆμα*: cf. Paus. VIII, 15, 1; Creuzer. Symb. II, p. 522.

4) Sic *οἱ βάκχοι* Plat. Phaed. p. 69 C; cf. Schol. Aristoph. Equ. 408: *βάκχον δὲ οὐ τὸν Διόνυσον ἐκάλουν μόνον, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς τελοῦντας τὰ ὄργια βάκχους ἐκάλουν*: Paus. III. 16. 1: *κόραι δὲ ἱερῶνταί σφισι παρθένοι καλούμεναι κατὰ ταὐτὰ ταῖς θεαῖς καὶ αὗται Λευκιππίδες*: cf. Creuzer. Symb. l. l. et IV, p. 156 sq.

5) Et viri et feminae, vel matrimonio conjuncti, sacro muneri praeerant: ut Chryses (Il. I, 15, 20). Dares (Il. V, 10), Dolopion (Il. V, 77), Onetor (Il. XVI, 604), Maron (Od. IX, 199). Theano (Il. V, 70 sq., VI, 299); cf. supra §. 5, p. 56 sq.

6) Il. I, 12 sqq.

7) l. l. 26 sqq.

8) l. l. 37 sqq.

9) l. l. 43 sqq.

condonat.[10]) Eadem ratione Vulcanus Idaeum, Daretis sacerdotis filium, in discrimine vitae versantem medio ex atrocis certaminis concursu tumultuque eripit ereptumque servat,[11]) *ὡς δή οἱ μὴ πάγχυ γέρων ἀκαχήμενος εἴη* (Il. V, 24). Quam blande benevoleque dictum! Nec minus huc referas Polydamantem, Panthoi filium, cujus interitum depulisse Apollinem legimus Il. XV, 521 sq.: *οὐ γὰρ Ἀπόλλων εἴα Πάνθου υἱὸν ἐνὶ προμάχοισι δαμῆναι.* Panthous[12]) quidem nusquam a poeta dilucide nominatur sacerdos,[13]) quae est, ut videtur, caussa, cur Heynius ad l. l. dubitanter dicat: «quare? quia, puto, Panthous vir *μαντικὸς* erat;» sed re ipsa totoque verborum nexu hoc probabile fit, ne dicam, hujus rei etiam Virgilium testem esse, qui, quod Homerus praeterit, nobis Aen. II, 318 sqq. planissime ostendit his verbis: «Ecce autem telis Panthus elapsus Achivom, Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos, sacra manu» etc., et v. 429 sq.: «nec te tua plurima, Panthu, labentem pietas, nec Apollinis infula texit.» Attamen deus filiis sacerdotis sui non semper in pugna adfuit: Hypsenor, Dolopionis filius, ab Eurypylo interficitur (Il. V, 76 sqq.), Laogonus, Onetoris filius, a Merione (Il. XVI, 603 sqq.).

Quanta autem fuerit illa necessitudo, inde quoque intelligitur, quod opes divitiasque, quibus templum vel potius deus affluebat, sacerdoti in rem suam quoquo modo convertere licebat, atque non aliter, ac si ipse eas possederit, dives nominatur. Ut Chryses filiam redemturus in Graecorum castra praemium ferens infinitum[14]) contendit; Dares, *ἀφνειὸς ἱρεὺς Ἡφαίστοιο*,[15]) opulentia conspicuus fuit, nec minus locuples beatusque Maron,[16]) Apollinis sacerdos, qui Ulyssi res pretiosissimas dono dedisse traditur. Templa ipsa immensis opibus[17])

---

10) Il. l. l. 430—437. Intimam dei et sacerdotis necessitudinem clare demonstrat Il. l. l. v. 20 sq. et 127, ubi Achilles Agamemnonem sic alloquitur: *ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν τήνδε θεῷ πρόες*, «sed tu quidem nunc hanc deo, i. e. in dei gratiam, mitte.»

11) Il. V, 23.

12) Cf. Il. III, 146; de ejus filiis cf. XIV, 448 sq.; XV, 521, sq.; XVI, 808; XVII, 9, 23.

13) Immo inter seniores Trojanorum proceres commemoratur (Il. III, 146 sqq.), qui a bello cessantes cum Priamo prope Scaeas portas in turri sedebant, eminus pugnam contuentes.

14) Il. I, 13.

15) Il. V, 9 sq.

16) Od. IX, 201, sqq.

17) De fontibus, unde divitiae templis opesque nascebantur, cf. Hermann. §. 20, 3 sqq. et quae supra §. 2 not. 13—19 annotata sunt. Ob eam ipsam opulentiam templorum saepius exstruebantur cellae posticae donariis, opibus aliisque rebus pretiosis reponendis, *ὀπισθόδομοι* (Schol. Luc. Timon. c. 53: *ὀπισθόδομος ἱερὸν τὸ ὄπισθεν τοῦ ἀδύτου, ἐν ᾧ καὶ τὰ δημόσια ἀπέκειτο χρήματα*: cf. Hermann. Hypaethralt. p. 25.), ut in Parthenone (C. I. nr. 76), *θησαυροὶ, οὓς καὶ δῆμοι καὶ δυνάσται κατεσκεύασαν, εἰς οὓς καὶ χρήματα ἀπετίθεντο καθιερωμένα καὶ ἔργα τῶν ἀρίστων δημιουργῶν*, Strab. IX, p. 641: ut Olympiae (Paus. VI, 19), imprimis autem Delphis; cf. C. I. nr. 1570: *ὁ δὲ συλλογεὺς ἀνοίξας τὸν θησαυρὸν, ὡς νομίζεται, ἐξελέτω τὸ γινόμενον ἀνάλωμα*, et Valcken. ad Herod. IV, 162.

abundasse[18]) saepius legimus: templum Minervae[19]) Athenis, Apollinis[20]) in Trojae arce; aedes Neptuni[21]), Aegis exstructa, *δώματα χρύσεα, μαρμαίροντα* celebratur. Imprimis templa, quibuscum oraculum conjunctum erat, summis divitiis opibusque eminebant, ut templum Apollinis[22]) Delphici. Ac sane quidem, si nobiscum reputamus, quomodo tempus viresque sacerdos consumserit in cura dei templique, aequum atque justum, quin etiam, si ille per se facultates habebat exiguas, necesse fuit, eum ex templi opulentia eundem cum deo capere fructum; quanam tandem ratione de opibus comparandis sacerdos, qui semper in rebus sacris versaretur, cogitare ad resque a munere suo alienissimas potuit advertere animum? Non dubium est igitur, quin opes, fructus, quos uberrimos agri locati reddebant, decumas, quae templis pendebantur frequentissimae, aliaque vectigalia omnia, quibus simul sumtus divini cultus tolerabantur, sacerdotes cum deo communicarint, ex iisque, quum reditus,[23]) quibus ipsi soli fruebantur, certe mediocres atque modici[24]) essent, sibi subsidia ad vitam sustentandam necessaria para-

---

18) Nec id mirum, quum deorum ipsorum permagni interesset, ut templa permultis rebus iisque splendidissimis ornarentur, cujus rei testis est Eurylochus (Od. XII, 345 sqq.), qui eo consilio, ut sibi illorum gratiam atque fidem conciliet, se suosque socios, si futurum fuisset, ut e Thrinacria incolumes in patriam redirent, Hèlio non templum solum exaedificaturos, sed donaria multa atque praeclara inibi posituros esse vovet; cf. Od. III, 274.

19) Il. II, 549: *ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ.*

20) Il. V, 512: *πίονος ἐξ ἀδύτοιο.* Terpstra p. 14, §. 5 vocem »*πίων*,« quae voci *νηοῦ* apposita apud Homerum haud raro reperitur (Od. XII, 346 et alibi), sensu angustiore ad sacrificia tantum refert: »quod ob pinguia et frequenter inibi Diis oblata sacrificia saepius *πίον* audit;« sed procul dubio universe significat divitias atque opulentiam.

21) Il. XIII, 21 sq., cf. VIII, 203 sq.

22) Il. IX, 404 sqq. Liceat mihi afferre, quod de illo templo Heynius ad hunc locum monet: »Memorabilis autem non modo religionis et templi antiquitas, sed multo magis hoc, quod tam antiquus et per tot saecula, inde a Trojano bello ad Homerum, et ab hoc ad Croesum, inde ad Graeciam florentem et bellum sacrum servatus et auctus donariorum apparatus in eo templo fuit; quo quot et quae antiquitatis ultimae et artis monumenta habita fuisse putabimus!« Dodonaeum quoque templum opibus affluxisse docet Hes. fragm. ex Schol. Soph. Trach. 1174; de opulentia templi oraculique Veneris Paphiae vid. supra p. 19 not. 44.

23) *Γέρα* (Aeschin. adv. Ctesiph. §. 18) vel *ἱερώσυνα* (Athen. IX, 6), i. e. *τὰ τοῖς θεοῖς ἐξαιρούμενα μέρη* (Bekk. Anecdd. p. 44).

24) Sic seriore tempore in sacerdotum reditu erant imprimis certae victimarum partes cum pellibus; Hesych. I, p. 1706: *θευμορία ἀπαρχὴ θυσίας ἣ ὃ λαμβάνουσιν οἱ ἱερεῖς κρέας, ἐπειδὰν θύηται*: Schol. Aristoph. Vesp. 695: *νόμος ἦν τὰ ὑπολειπόμενα τῆς θυσίας τὸν ἱερέα λαμβάνειν, ἅ εἰσιν οἷον δέρματα καὶ κωλαῖ*: C. I. I, nr. 2656: *καὶ λήψεται τῶν θυομένων δημοσίᾳ ἀφ᾽ ἑκάστου ἱερείου κωλῆν καὶ τὰ ἐπὶ κωλῇ νεμόμενα καὶ τεταρτημορίδα σπλάγχνων καὶ τὰ δέρματα*: l. l. nr. 2265; cf. Boeckh. ind. lectt. Berol. per sem. hibern. 1835—36.

verint.[25]) Inde fieri potuit, ut Maron[26]) pro beatiore conditione sua Ulyssem vi tempestatis, quum e Troade rediret, a cursu ad Thraciae littora delatum hospitaliter exciperet eique proficiscenti etiam victum atque pecuniam largiter copioseque suppeditaret. Sed ut sacerdos jure quodam omnibus rebus, quae deo et templo erant, utebatur easque sibi vindicabat,[27]) ita vero etiam deus eum esse proprium suum atque ab ipso quasi totum possideri cupiebat.

His rebus factum est, ut in sacerdotem, qui jam per se propter certas quasdam et animi et corporis virtutes[28]) ad sacerdotium fungendum necessarias, atque propter consecrationem[29]) fuit sacrosanctus, transiret etiam dei sanctitas eumque quasi divina quadam specie indueret. Convenit egregie huic integritati atque sanctitati cultus vestitusque ejus munditia et candor,[30]) *τὸ ἱεροπρεπὲς*[31]) vel *σεμνόν;*[32]) quam rem Homerus non aperte quidem commemorat, sed tamen manifestum indicium arbitror esse illud Chrysae *στέμμα* vel *στέμματα*, quae vox reperitur apud poetam Il. I, 14 sq.: *στέμματ᾽ ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ*, et l. l. v. 28: *μή νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον καὶ στέμμα θεοῖο.* Etiamsi id Hesych. II, p. 1340 sic interpreta-

---

25) H. Apoll. 535 sqq; cf. Artemid. Oneirocr. III, 5: *καὶ γὰρ τὰς τῶν θεῶν ἀπαρχὰς τὸ ἔθος ἐπιτρέπει αὐτοῖς λαμβάνειν, καὶ τρόπον τινὰ ἀπὸ θεῶν τρέφονται*: Paus, I. 38, 1: *λέγονται δὲ οἱ Ῥειτοὶ Κόρης ἱεροὶ καὶ Δήμητρος εἶναι, καὶ τοὺς ἰχθῦς ἐξ αὐτῶν τοῖς ἱερεῦσίν ἐστιν αἱρεῖν μόνοις.*

26) Od. IX, 196 sqq.

27) Sacerdos, quatenus una cum deo agrum sacrum habebat, in numero *γεωμόρων* ducendus est.

28) Quemadmodum victima omni macula careret omnibusque numeris absoluta esset oportebat (*ἥτις ἀρίστη* Od. XI, 30; *ταύρους κεκριμένους* XIII, 182; *τελήεσσας ἑκατόμβας* Il. II, 306; cf. Il. I, 66, XI, 727), ita erat quoque sancitum, ut sacerdos integer omnibusque animi et corporis immunis esset vitiis: Etym. M. p. 176: *καὶ οἱ βασιλεῖς καὶ οἱ ἱερεῖς ἐδοκιμάζοντο Ἀθήνῃσιν, εἰ ἀφελεῖς καὶ ὁλόκληροι* (i. q. *μὴ ἀνάπηροι*); cf. Athen. VII, 55.

29) *Ὁσίωσις*: cf. Lucian. Lexiph. c. 10. Notatu dignum, sacerdotem resque deo consecratas nominari finitimis vocibus: sacerdos est *ἱερεύς*, templum et sacrificium *ἱερόν*, victima *ἱερεῖον*, et ipsa sacrificandi actio apud Homerum *ἱερὰ ῥέζειν*, serius demum *θύειν* et *θυσία*: cf. Eustath. ad Od. XIV, 446 et supra p. 34 not. 10. Eodem pertinet ea res, quod sacerdos ex hac consecratione, qua quasi peculium dei fiebat, sacrificans capiti coronam imponere solebat (Athen. XV, 16: *ὡς εὐανθέστερον γὰρ καὶ κεχαρισμένον μᾶλλον τοῖς θεοῖς παραγγέλλει στεφανοῦσθαι τοὺς θύοντας*), quamquam hic mos nondum est apud Homerum (cf. Nitzsch. vol. II, p. 149); pariter victima ad aram ornata ducebatur (Od. III, 436 sqq.).

30) Cf. Plat. legg. XII, p. 956 A: *χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντ᾽ ἂν θεοῖς εἴη καὶ ἄλλοθι καὶ ἐν ὑφῇ, βάμματα δὲ μὴ προςφέρειν.* Nec minus huc referas *ταινίας*, vittas vel infulas, saepius *στεφάνοις* conjunctas; cf. Plat. Symp. p. 212 E, Plut. Philop. c. 21, Wessel. ad Diodor. XVII, 101.

31) Xenoph. Conv. VIII, 40.

32) Cf. Aristid. de quatuorv. p. 159 de Pericle: *λέγεται βιῶναι οὕτω σεμνῶς, ὥστε μηδὲν τῶν προφητῶν καὶ τῶν ἱερέων τὸν ἐκείνου βίον διαφέρειν*: Athen. I, 39 de Aeschylo: *ἐξεῦρε τὴν τῆς στολῆς εὐπρέπειαν καὶ σεμνότητα, ἣν ζηλώσαντες οἱ ἱεροφάνται καὶ δᾳδοῦχοι ἀμφιέννυνται.*

tur: *στέμμα δέ ἐστι τὸ προςειλημένον ἔριον τῷ θαλλῷ*,[33]) aliique viri docti sequuntur eandem vel aliam sententiam,[34]) equidem, cui ea interpretatio neque ipsi rei nec rationi loci videatur congruere, gravioribus caussis adductus puto fuisse vittam vel infulam[35]) lana alba confectam, quam sacerdos tanquam insigne dignitatis suae capiti imponere solebat, hic vero Chryses prae humilitate quadam, quum supplex principes Achivorum esset aditurus, de capite demtam sceptroque, quod erat alterum insigne sacerdotale, alligatam prae se tulit. Improbo igitur sententiam illorum, qui hoc *στέμμα* fuisse volunt coronam ex lauri vel oleae frondibus factam lanaque alba redimitam, quam Chryses manu tulisset supplex; nam si hoc ita esset, is profecto, priusquam in publicum prodiisset, sceptrum deposuisset, ne hoc insigni, quod a supplicaturo alienum est, offenderet. Deinde ex nostra interpretatione verba Agamemnonis, quibus Chrysen increpat: *μή νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον καὶ στέμμα θεοῖο*, multo majorem habent vim suntque longe graviora hoc sensu: «fac, ne apud naves te vel commorantem vel postea reversum deprehendam; tunc tibi tua ipsa dignitas sacerdotalis vestitusque solennis, quo indutus es, vitta et sceptrum, nihil prodesset.» Tum autem, altera interpretatione comprobata, vox «*Ἀπόλλωνος*» (v. 14, «*θεοῖο*» v. 28) nos aliquantulum offendit. Nam *στέμμα Ἀπόλλωνος* nihil aliud potest valere nisi *στέμμα* Apollini sacrum; sed si id hoc loco signum supplicaturi habendum est, quid sibi vult *στέμμα Ἀπόλλωνος*, cujus dei numen per se ad supplices nihil pertineat: nonne tum multo aptius ponendun fuit nomen ejus dei, qui *ἱκετῶν* erat tutor defensorque, *Διὸς* sc. *ἱκετησίου* (Od. XIII, 213)? At vero nostra sententia confirmatur ipso nomine dei apposito, quo vitta, quam Chryses, quippe qui esset sacerdos, gerebat, cum gravitate quadam simul etiam dei quasi proprium significatur, quod in arctissima utriusque ratione profecto nemini videbitur mirum. Denique accedit, quod haud scio an Chryses animum induxerit, se, si toto vestitu solenni ornatuque sacerdotali indutus in publicum prodiret, eo magis moturum esse principes Achivorum totamque multitudinem, atque eo facilius, quod voluerit, consecuturum.

Jam vero sacerdotes, qua integritate morum erant atque sanctitate, vix vitam voluptatum varietate confertam agebant, nedum se ullis flagitiis sceleribusve contaminarent, immo honeste sancteque vivebant. Facere non possum, quin hoc ipso loco iterum commemorem (cf. supra §. 3 init., p. 36) nobilem illam Theano,[36]) quae noverca Pedaeum, spurium filium, non dure aspereque tractat, sed sensu molliore atque humanitate permota aeque benigne et diligenter ac suos ipsius liberos educat neque materno amore non amplectitur. In quo ejus quanta animi bonitas cernitur! Contra quam plane alia est morum conditio vatum! Ecce Theoclymenum, vatem praeclarum, qui unum de civibus suis necare haud veretur atque manibus

33) Cf. Schol. Aristoph. Vesp. 475; Eustath. ad Il. p. 603.

34) Cf. interprett. ad Il. I, 14.

35) Cf. not. 30; Virg. Aen. II, 429 sq. infula sacerdotis Panthoi memoratur.

36) Il. V, 70 sq.

caede cruentatis, profugus huc illuc errans, supplex venit ad Telemachum;[37]) ecce Halithersen, augurem[38]) peritissimum, quem Eurymachus graviter accusat, quod largitione donisque moveatur.[39]) Num quid ejusmodi criminis apud poetam confertur in sacerdotes? Inique igitur atque acerbius justo in hos invehitur Nitzschius ad II, 185 sq. p. 95: «Der schmähliche Verdacht einer um Lohn falschgünstigen Deutung lässt uns eben sowohl Beispiele von Priestertrug voraussetzen, als er, so wie die Furcht des Kalchas vor Agamemnon Il. I, die Abhängigkeit der Priester und Priestergenossen von den Machthabern beweist.»

Sed ne ab eo, quod proposuimus, longius digrediamur, sacerdotes etiam deorum instar colebantur[40]) a populo, summus iis habebatur honor,[41]) privatim et publice praecipua dignitate atque reverentia[42]) tractabantur et, ubicunque apud poetam reperiuntur, eorum utique honorificentissima fit mentio.[43]) Quin etiam hostes his manum inferre verebantur iisque summa religione adducti parcebant; in qua re exemplum Maronis sit nobis instar omnium. Ulysses enim, qui cum sociis ad Thraciae oram delatus, quum, urbe Ciconum Graecis infestorum[44]) devastata, magna opimaque praeda facta atque uxoribus in servitutem abductis, ipsos ad internecionem redegisset,[45]) tamen Maronem cum uxore liberisque tutatus est[46]) ab omnique inju-

---

37) Od. XV, 272 sqq.

38) Od. II, 157 sq.

39) Od. l. l. v. 186.

40) *Θεὸς δ' ὡς τίετο δήμῳ*: Il. V, 78 de Dolopione, XVI, 605 de Onetore; quem in modum poeta loquitur etiam de principibus virisque nobilibus ad summum in eos venerationis gradum exprimendum: ut Il. X, 33 de Agamemnone, XI, 58 de Aenea; cf. Od. XIV, 205. XIX, 280; Artemid. Oneirocr. III, 13: *θεὸς εἴ τις ὑπολάβοι γενέσθαι, ἱερεὺς ἂν γένοιτο ἢ μάντις· τῆς γὰρ αὐτῆς τοῖς θεοῖς καὶ οὗτοι τυγχάνουσι τιμῆς.*

41) Cf. Plut. qu. Rom. 113: *ἐνιαχοῦ τῆς Ἑλλάδος ἀντίῤῥοπον ἦν τὸ τῆς ἱερωσύνης ἀξίωμα πρὸς τὸ τῆς βασιλείας κ. τ. λ.*

42) Cui hic non statim succurrat amplissimus ille serioris temporis honor, quod in theatro et concionibus ob dignitatem suam sedebant in ordinibus a multitudine separatis? Hesych. II, p. 666: *τὰς ἐν τῷ θεάτρῳ καθέδρας ψηφίσματι νενεμημένας προεδρίας ἱερεῦσιν*: cf. Schol. Aristoph. Ran. 297; C. I. nr. 101, 2421.

43) Huc mihi spectare videtur etiam vox »*ἀμύμων*,« quae, apud Homerum haud rara, unico tantum loco dicitur de sacerdote: Il. V, 9 de Darete. Haec vox, proprie idem significans, quod *ἀμώμητος* (Il XII, 109), i. e. qui nihil in se habet, quod reprehendi possit, integer, ab omni culpa vacuus, apud poetam semper in optimam partem accipienda est: omnibus virtutibus ornatus, praeclarus, honoratus, genere nobilis (sic de scelesto Aegistho Od. I, 29); eadem ratione Theano ob singularem virtutem vocatur *δῖα* (Il. V, 70), nec aliter vocem »*γέρων*« vel »*γεραιός*« interpretandam censeo (cf. infra §. 5).

44) Cf. supra p. 17 not. 34.

45) Od. IX, 39 sqq.

46) Od. l. l. v. 199 sq.: *οὕνεκά μιν σὺν παιδὶ περισχόμεθ' ἠδὲ γυναικὶ ἁζόμενοι.* Audiendum est ad

ria defendit.[47]) Praeterea sacerdotes vel in ejusmodi rebus, quae a sacro munere valde abhorrerent, summam obtinebant auctoritatem inter aequales suos, qui, confisi, quaecunque solita ratione perfici non possent ab aliis, ad finem exoptatum ab his iri adductum, maxime in rerum difficultate eos in consilium adhibebant. Nam quum sacerdotes, medii inter deos et homines, in horum commodum ac salutem ab illis bona omnis generis impetrarent atque in rebus sacris fiduciam nullo modo frustrarentur, quanto majorem exspectationem sui eos commovere necesse fuit de rebus humanis! Unum et quidem luculentissimum hujus rei argumentum est, quod ab Aetolis nobilissimi e sacerdotibus publice ad Meleagrum legati[48]) mittuntur, qui supplices eum orarent rogarentque, ut auxilio cum copiis suis exiret atque hostem finibus prohiberet.[49])

Non mirandum est igitur, gratiam sacerdotum atque dignitatem majorem ampliuremque fuisse quam vatum. Etsi enim hi omnibus rebus, quae ad vitae communis usum spectabant, praecipue rebus bellicis,[50]) posteriore aevo etiam sacris et privatis et publicis[51]) aliisque majoris momenti caussis[52]) adhibebantur, atque ars vaticinandi continuo usque ad temporis classici finem plurimum valuit, tamen multum abfuit, ut vates per se aeque ac sacerdotes honorarentur. Quam aspere maleque sint vates singuli passim tractati, certus nobis auctor est Homerus. Calchas,[53]) ab Achille de Apollinis ira verum dicere jussus, antequam imperatum facit, indignationem Agamemnonis atque odium veritus illum orat, ut propensus sibi auxilium ferat seque ab illius injuria tutum praestet; eundem vatem[54]) Agamemnon omnibus insequitur contumeliis; Hector Polydamantem[55]) omni observantia reverentiaque neglecta alloquitur; Eury-

---

»ἀζόμενοι« non »τὸν Ἀπόλλωνα,« ut censet Duncanius s. v. ἄζομαι, afferens Il. I, 21. cujus loci ratio est plane alia, sed totus orationis nexus ad ipsum sacerdotem id verbum referendum ostendit.

47) Cf. Aelian. V. H. XIII, 7: ὅτε εἷλε τὴν Θηβαίων πόλιν Ἀλέξανδρος, ἀπέδοτο τοὺς ἐλευθέρους πάντας πλὴν ἱερέων.

48) Il. IX, 574 sqq.

49) Mirum in modum Terpstra p. 17, §. 5 »ἐξελθεῖν καὶ ἀμῦναι« (l. l. v. 576) de sacerdotibus dictum intelligit, quae interpretatio omni caret sensu.

50) Sic Achivi ad Trojam proficiscentes Calchantis, auguris peritissimi, facultate divinandi consilioque usi sunt: Il. I, 69 sqq. (Eurip. Iphig. Aul. 1576); cf. Herod. VII, 228; Thuc. VI, 69: Xenoph. Hell. VII, 1. 21.

51) Xenoph. l. l. III, 3, 41: θύοντος αὐτοῦ τῶν τεταγμένων τινὰ θυσιῶν ὑπὲρ τῆς πόλεως, εἶπεν ὁ μάντις, ὅτι ἐπιβουλήν τινα φαίνοιεν οἱ θεοί: cf. Plut. V. Niciae c. 4. Paus. V, 13. 2.

52) Cic. divin. I, 43: »quis vero non videt in optima quaque re publica plurimum auspicia et reliqua divinandi genera valuisse? nam et Athenienses omnibus semper publicis consiliis divinos quosdam sacerdotes, quos μάντεις vocant, adhibuerunt« etc.

53) Il. I, 74 sqq.

54) Il. l. l. v. 106 sqq.

55) Il. XII, 230 sqq., cf. XVIII, 293 sq.

machus conviciis vexat Halithersen;[56]) denique idem Theoclymenum[57]) superbe, insolenter contemtimque tractat atque adeo Telemacho suadet, ut eum lucri faciundi caussa servum vendat. Semel quidem etiam sacerdotem, Chrysen, haud ita placide benigneque nec cum verecundia tractatum legimus Il. I, 26 sqq.; sed ne cui sit haec res offensioni, sufficiat monere, auctoritatem sacerdotum dignitatemque apud ipsos principes minus quam apud populum firmatam atque quasi munitam fuisse aetate Homerica, cujus indoles esset bellicosior saeviorque, necdum priorum temporum asperitate tam immunis, ut etiam reges principesque, opibus suis et potentia elati seque illis esse superiores honoris gradu opinantes, eadem imbuti fuissent religione atque populus. Aperte hanc rem docet is locus, quem modo attulimus. Quemadmodum enim populus[58]) universus Chrysen omni veneratione colendum esse ejusque dona accipienda comprobat, ita Agamemnon[59]) eum, sacrosanctae personae ratione habita nulla, verbis compellat atrocissimis, insequitur minis atque, ne ipsi ira correptus injuriam inferat, navibus discedere jubet; et filia ab Agamemnone Chrysae postea reddita,[60]) tamen haec animi mutatio minus ex reverentia sacerdotis, quam ex timore ac verecundia Apollinis irati profecta est. Ceterum hac una re potest summa argumenti nostri haud magis refutari, quam eo, quod Herodotus VI, 81 tradit, sacerdotem Argivum ab Cleomene mente capto injuria indigna fuisse affectum.

Ex quo efficitur illud, ut ex dignitate uterque nullo modo inter se conferri possit; vates ne adaequavit quidem dignitatem sacerdotis, nedum hac eum superaret.[61]) Nam persona vatis plane est distinguenda ab arte vaticinandi ipsoque munere, quod, ut supra dictum est, ob vitae communis usum per omnia fere tempora plurimi aestimabatur. Sed ratio, quae horum utrique cum deo intercedebat, nimio plus inter se diversa fuit, quam ut possent esse pares auctoritate. Vates sacerdotibus inferiores fuerunt, non quod responsa eorum, ut Voelckero[62]) videtur, dubia multumque casui obnoxia[63]) essent, sed quod tum demum, quum munere ipso fungebantur, ad deum solito propius accedebant, nec alias eum attingebant ulla necessitudine;

---

56) Od. II, 185 sqq.

57) Od. XX, 360 sqq.

58) Il. I, 22 sq.

59) Il. l. l. v. 24 sqq.

60) Il. l. l. v. 450 sqq.

61) Ut perperam censet Limburg-Brouwer, histoire de la civilisation morale et religieuse des Grecs, V, p. 222: »il est facile de concevoir, que l'autorité des devins devoit être plus grande, que celle des prêtres.«

62) P. 41: »Denn wenn die Stimme eines unpriesterlichen Propheten gehört wird, so ist das nur Zufall und hängt nur von dem jedesmaligen persönlichen Rufe seiner Kunst ab, indem es nicht an Beispielen grosser Geringschätzung einzelner Auguren fehlt.«

63) Nam eodem modo vel sacerdotum dignitatem violatam videmus a Priamo Il. XXIV, 220 sqq.

sunt δημιουργοὶ,[64]) qui artificum operariorumque publicorum instar communes utilitates in medium afferebant quique, non singulis diis templisve consecrati neque omne tempus et otium unice in rebus sacris administrandis conterentes, in majore hominum frequentia versabantur.[65]) Quid, quod seriore tempore magnam de se suorumque responsorum fide moverunt suspicionem, iisque tantulum habitum est fiduciae,[66]) ut salutis publicae caussa custodes[67]) imponerentur necesse esset. Contra sacerdotes, pro natura muneris sui, pro tota vivendi ratione proque persona sua firmissimo necessitudinis vinculo cum deo conjuncti, eum consuetudine quasi implicatum habuerunt; et quo religiosius officio sacro fungi possent, veriti, ne quid amplitudo sacerdotalis acceptura esset detrimenti, nihil antiquius existimarunt, quam ut, fugientes conspectum hominum atque quasi luce forensi carentes, omnibus abstinerent[68]) rebus publicis, qnas a dignitate sua alienissimas ducerent. Ita sacerdotibus, ut nobis quidem videtur, ex hac sola conditione is honoris atque reverentiae cumulus accessit.

Sed reperiuntur, qui hanc dignitatem etiam ex aliis caussis profectam esse contendant. Voelckerus[69]) et Terpstra[70]) primo loco ponunt aetatem; ille vel eo procedit, ut affirmet,[71])

---

64) Od. XVII, 382 sqq.: *τίς γὰρ δὴ ξεῖνον καλεῖ ἄλλοθεν αὐτὸς ἐπελθὼν ἄλλον γ', εἰ μὴ τῶν, οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν, μάντιν, ἢ ἰητῆρα κακῶν, ἢ τέκτονα δούρων, ἢ καὶ θέσπιν ἀοιδὸν κ. τ. λ.* (cf. XIX, 135).

65) Apud poetam vates proelio pugnans interest. Hector unumquemque verbis ad pugnandi studium incendere conatur (Il. XVII, 215 sqq.), inter quos est etiam Ennomus *οἰωνιστής* (l. l. 218); Helenus (*οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος*, Il. VI, 76) Aeneam et Hectorem excitans dicit: *ἡμεῖς μὲν Δαναοῖσι μαχησόμεθ', αὖθι μένοντες, καὶ μάλα τειρόμενοί περ* (l. l. 84 sq., cf. v. 99): idem medio in certaminis tumultu Hectorem consilio suo juvat (Il. VII, 44 sqq). Quin etiam ducis munere fungitur vates. ut Ennomus Mysius, *οἰωνιστής*, qui ab Achille pugnans interficitur (Il. II, 858 sqq.).

66) Aristoxen. Selinusius apud Hephaestionem de metris VIII, 1: *τίς ἀλαζονίαν πλείστην παρέχει τῶν ἀνθρώπων; οἱ μάντεις.* Cyrop. I, 6, 2 Xenophon suadet, ut suo quisque studio artis divinandi cognitionem quandam assequi enitatur, *ὅπως μὴ δι' ἄλλων ἑρμηνέων τὰς τῶν θεῶν συμβουλίας συνείης . . . . καὶ μὴ ἐπὶ μάντεσιν εἴης, εἰ βούλοιντό σε ἐξαπατᾶν ἕτερα λέγοντες ἢ τὰ παρὰ τῶν θεῶν σημαινόμενα*: Plat. Lach. p. 199 A: *καὶ ὁ νόμος οὕτω τάττει, μὴ τὸν μάντιν τοῦ στρατηγοῦ ἄρχειν, ἀλλὰ τὸν στρατηγὸν τοῦ μάντεως*: cf. Eurip. Iphig. Aul. 961, Plat. Republ. II, p. 364 B, Plut. V. Lycurg. c. 9.

67) Schol. Dem. Mid. §. 115: *ἱεροποιὸν δὲ καλοῦσι τὸν ἐποπτεύοντα τοὺς μάντεις, ὅτε θύουσι, μήποτι κακουργῶσιν ἐν ταῖς θυσίαις.*

68) Sacerdotes apud Homerum stipendia non merent vatum instar, sed in castris Graecorum nulla alia de caussa versantur, nisi ut munus suum expleant (Il. I, 62).

69) P. 40: »ehrwürdig schon durch ihr Alter Il. I, 26.« Perperam in hanc rem affert Il. VI, 87, ubi *γεραιαὶ* sunt matronae honoratae, nec sacerdotes.

70) P. 16, §. 3: »reverentiam vero etiam augebat aetas.«

71) P. 42: »Aber der *θυοσκόος* unterscheidet sich auch wieder vom Priester dadurch, wie wir an dem Beispiele des Leiodes ersehen, dass er nicht schon alt und Greis sein muss.«

necesse fuisse natu grandior sacerdos esset atque senex. In hanc opinionem eo inducuntur, quod Chryses vocatur «γέρων» (Il. I, 26, 380, 462; cf. V, 24, ubi Dares quoque γέρων dicitur) et «γεραιός» (l. l. v. 35). Hoc argumentum leve sane; nam γέρων vel γεραιὸς[72]) significat virum non solum aetate provectum, sed etiam dignitate praestantem, venerabilem, reverentia dignum, ita ut ea vox sit nihil aliud nisi titulus honorificus. Equidem puto, posteriorem vim hic valere, maxime quia non modo ullum aliud ejusmodi indicium usquam apud poetam non reperitur, sed et contra argumentari possumus ex Theano, quae Il. VI, 298, 302 καλλιπάρῃος[73]) nominatur. An forsitan quispiam censeat, hoc epitheto aliud quid significari quam corporis habitusque pulchritudinem atque formositatem? quae scilicet non tam senectuti, quam juventuti propria est. Sacerdotium igitur senectutem prorsus nullam requirit. Alteram caussam dignitatis sacerdotalis illi viri docti petere volunt ex facultate arteque divinandi (Terpstra p. 16, §. 3: «Singuli hi rerum sacrarum ministri Deorum voluntatem adsequi possunt. Hinc illis honos et reverentia haud vulgaris habetur»[74])). At vero haec res, quae forsitan primo adspectu probabilis videatur, ad honorem sacerdotum amplificandum valuit nihil, quod, ut supra diximus, vaticinatio non praecipua pars sacerdotalis officii erat, sed secundum tantum locum obtinebat. Denique caveamus, ne forte ideo, quod Theano nobili genere[75]) orta est, sacerdotem omnino semper creatum esse ex familiis illustrissimis, indeque ei haud exiguum dignitatis cumulum accessisse arbitremur. Etsi enim res ipsa negari non potest, ipsisque diis generosam ministrorum sacrorum stirpem concedimus fuisse gratam[76]) acceptamque, atque etiam seriore tempore in sacerdotibus creandis ampliorum[77]) imprimis ordinum habitam esse rationem constat, non est tamen, cur hoc tempore nobile genus tam necessarium fuisse censeamus, ut, si cui id non fuisset, etiam sacerdotem creari fas non esset; quae res praeter unicum illud exemplum aliis exemplis ex Homero quidem depromtis dilucide effici non potest, nec per se

---

72) De usu huius vocis cf. Duncan. s. v.

73) Epitheton illud maxime de personis aetate florentibus dicitur: Il. I, 143, 310 de Chryseide; XIX, 246, XXIV, 676 de Briseide; Od. XV, 123 de Helena.

74) Cf. Voelcker. p. 40 sq.

75) Cf. supra §. 3 init., p. 36.

76) Cf. Terpstra p. 18, §. 6 extr.: «Qui enim illustri genere orti vel corporis vel animi dotibus praestabant, θεόφιλοι fuerunt Diisque prae ceteris carissimi;» quod universe dictum (cf. Il. XXIV, 531 sqq.) profecto quidem etiam in sacerdotes transferri licet.

77) Aristot. Politic. VII, 8, 6: οὔτε γὰρ γεωργὸν οὔτε βάναυσον ἱερέα καταστατέον· ὑπὸ γὰρ τῶν πολιτῶν πρέπει τιμᾶσθαι τοὺς θεούς: cf. Demosth. Eubul. §. 46, Paus. VII, 20, 1; 27, 2; IX, 10, 1. Quin etiam in inferioribus cultus divini administris claritas quaedam generis requirebatur; cf. de pueris Polyb. XII, 5, 10; Hesych. II, p. 1599; C. I. nr. 2715: ἔδοξε τῇ βουλῇ αἱρεῖσθαι νῦν ἐκ τῶν εὖ γεγονότων παῖδας τριάκοντα, οὕςτινας καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἄξεται ὁ παιδονόμος εἰς τὸ βουλευτήριον λευχειμονοῦντας καὶ ἐστεφανωμένους θαλλοῦ, ἔχοντας δὲ μετὰ χεῖρας ὁμοίους θαλλούς, οἵτινες συμπαρόντος κιθαριστοῦ καὶ κήρυκος ᾄσονται ὕμνον: de virginibus cf. Callim. L. Pall. 34.

est verisimilis, quum amplitudo sacerdotis atque dignitas jam ob alias graviores rationes esset tanta, ut ejusmodi externis subsidiis ad splendorem augendum haud amplius indigeret.

Restat, ut hoc loco rem quandam breviter attingamus, quaestioni, quam tractavimus, haud alienam. Voelckerus enim (p. 40) profiteri haud dubitat, Homerica aetate sacerdotale exstitisse imperium; contrariam sententiam Naegelsbachius tuetur, p. 179 dicens haec: «Unser Hauptargument also gegen die hieratische Natur dieser angeblichen Göttersprache ist der Mangel eines hieratischen Elements im homerischen Leben überhaupt, aus dessen Abwesenheit allein der politische Kultus zu erklären ist.» Quantulum habeat horum utrorumque sententia fidei, demonstrare mihi ex iis, quae supra dicta sunt, paene superfluum videtur atque alienum; attamen pro rei magnitudine est operae pretium, utique pauca quaedam addere, unde intelligatur, quid de hac re judicandum sit.

Assequi non possum, quomodo Naegelsbachius, neglectis omnibus indiciis, tale quid statuere audeat, quandoquidem cultus sacerdotalis illo tempore fuit saltem in aliquo numero et honore, atque sacerdotes aliquid ponderis habuerunt. Profecto quidem reperitur elementum sacerdotale, quod, etiamsi non multum valeat, per ipsos sacerdotes aperte repraesentari quis est, qui neget? Sed ut Naegelsbachius inique auctoritati sacerdotum obtrectat iisque omnem fere dignitatem detrahit, ita eos Voelckerus in altiorem gradum vel in summum potentiae provehit quasi fastigium; nam quod censet, quid est aliud, quam vim eorum omnibus in rebus et publicis et privatis fuisse maximam, eosque ita in cives suos quoddam tenuisse imperium? Nimium hoc; atque ex argumentis Voelckeri unum est vel tale, quod sententiam ejus non modo non stabiliat, sed etiam infirmet: intelligo electionem sacerdotum, quae quidem ab imperio sacerdotali longissime abhorret. Pleraque ex ceteris argumentis vana sunt; etenim divitiae illorum, dignitas, reverentia aliaeque res insignes repetendae sunt non ex quodam imperio, sed, ut supra vidimus, ex tota ratione, quae inter sacerdotem et deum intercedere solebat. Ceterum argumentatio Voelckeri, etiamsi a nobis comprobaretur, tamen hujus rei discrimen faceret nullum, quum sacerdotes, ut Chrysae exemplo docemur, non semper digno honore colerentur, vel injuriis afficerentur, qua tractandi ratione esse nihil potest magis contrarium imperio sacerdotali.

In extrema confirmatione Voelckerus l. l. summum, quod quidem ipse putet, argumentum profert, sacerdotes maximam vim exercuisse facultate sua vaticinandi. Sed quin hoc quoque dictum falsum sit, vix quis dubitarit, qui recordetur, interpretationem divinae voluntatis nullo modo prorsus fuisse praecipuam eorum muneris partem. Nobis apud poetam hujus rei ne unum quidem occurrit exemplum, unde perspicere liceat, solo eorum arbitrio rem aliquam majoris momenti esse confectam; immo vero tunc temporis huic facultati non multum auctoritatis tributum est. Quibus tandem verbis Priamus respondet Hecubae uxori suae, quae ei persuadere conatur, ne solus ad Achivorum naves eat: *εἰ μὲν γάρ τίς μ᾽ ἄλλος ἐπιχθονίων ἐκέλευεν, ἢ οἳ μάντιές εἰσι, θυοσκόοι, ἢ ἱερῆες, ψεῦδός κεν φαῖμεν, καὶ νοσφιζοίμεθα μᾶλλον* (Il. XXIV, 220 sqq.).

Nonne haec verba contumeliose dicta, quibus sacerdotes aperte vel mendacii insimulantur, clare perspicueque demonstrant, homines sacerdotum vaticinationem nihil pensi neque sancti habuisse? Denique in fine argumentationis dicit haec (p. 41): «Welcher Einfluss auf das öffentliche und Privatleben, wo jede Unternehmung von Priestern und Orakeln bedingt ist!» Vix aegreque Voelckerus exemplis ex poeta depromtis probare possit, unamquamque rem et publicam et privatam heroica aetate rediisse ad sacerdotum responsa, quod ab tota ejus indole alienissimum est;[78]) seriore demum tempore, qno sibi praecipuas partes divinationis[79]) vindicarant, auctoritas eorum fuit aliqua ex parte, ut ita dicam, politica; at vero multo rectius dici potest, hoc tempore eam vim conjunctam fuisse cum munere vatum. Bene igitur ait Naegelsbachius p. 176 sq.: «Dass sie ferner im politischen Volksleben wenigstens nicht bedeutend hervortreten, geht schon daraus hervor, dass der Dichter ihrer verhältnissmässig selten und immer nur im Vorbeigehen gedenkt.» Sacerdotes Aetolorum (Il. IX, 575) esse non possunt documento publicae auctoritatis, quippe quibus id legationis munus haud dubie ob eam solam caussam mandatum esset, quod sibi illi persuaserant, eos, qua auctoritate sanctitateque essent, fore maxime idoneos, qui res tam magnas atque arduas celeriter perficere et ad prosperum exitum adducere possent. Praeter hoc exemplum apud Homerum aliud ejusmodi nullum amplius exstat. Quid multa? sententiis Naegelsbachii et Voelckeri, qui uterque nobis modum finesque in diversas partes excedere videatur, non comprobatis, medium teneamus, ut neve plus justo vis sacerdotum atque auctoritas minuatur, neve augeatur.

De *θυοσκόων* et *μάντεων* natura officiique partibus (Cap. II et III) nobis alio loco disputabitur.

---

78) Cf. Naegelsb. p. 167 sq.

79) Paus. X, 33, 5: *πρόμαντις δὲ ὁ ἱερεύς ἐστι, χρᾷ δὲ ἐκ τοῦ θεοῦ κάτοχος*: Plut. V. Lysand. c. 26: *ὡς ἐν γράμμασιν ἀποῤῥήτοις ὑπὸ τῶν ἱερέων φυλάττοιντο παμπάλαιοι δή τινες χρησμοί*: cf. Pind. Pyth. IV, 6: *ἱρέα χρῆσεν*, et Schol. Olymp. VI, 5.